



GV

GIBRART VON
SCHLHVE V...




✓ 00 / apud N. 702


1) Piscator, f.

2) (Hofmanns, v.)

3) Samus, U.

~~M. VI. 72.~~





CONFUTATIO

Solida antithesium

THESEI-
BUS D. HOFFMAN,
NI DE COENA DO-
MINI OPPOSITARUM, QUAE
ostenditur quàm vacuæ sint pixides multæ, quàm
veneno refertæ quædam quibus Antidota con-
tineri Agyrta prætereantibus persuas-
dere contendit,


*Publicè in Academia Julia à Domino D. Da-
nielo Hoffmanno recitata: nunc vero à pieta-
tis studioso in lucem edita*

Anno salutis

1591.



Medice cura te ipsum.



ANTIDOTVM
ADVERSUS INANES
ET FRIVOLAS PRÆSTI-
gias Disputationum Danielis
Hoffmanni Theologi, in scho-
la Helmstadiana.

A
Quodam veritatis amante
scriptum.

*Quod falsum est, verum fieri
nequit, etiamsi mille coloribus pi-
etum ad speciem veri tra-
ducatur.*

Veni & vide etiam tu Daniel.

PRÆFATIO.

Nullum in docente vitium
 gravius est arrogantia. Ea
 sæpe facit, ut etiam si vera sint,
 quæ docentur, tamen sine sto-
 macho audiri Doctor non pos-
 sit, quoniam doctrinam ipsam
 secum in odiū trahit. Quis igitur
 Hoffmannum tulerit super-
 cilio tam arroganti falsa traden-
 tem, & in re maximè seria con-
 tra veritatem nitendo ex insita
 εὐλαωπία planè ineptientem? Qui
 triumphos jamdudum crepat,
 cum neminem vicerit, nisi inso-
 lens fortè jactantia pro victo-
 ria est, qui non adversarios so-
 lū suos, sed synagonistas quoq;
 ex alto omnes despicit?

Cui sanè si D. Beza gloriolam
 venanti statim aut silentio re-
 spondisset, aut idē fecisset quod

Era.

Erasmus olim simili famæ captatori fecisse perhibetur, hominem forsam famæ desiderio, quâ ex certamine isto sperabat tabescentem enecasset. Quid verò ineptius istis inanibus λογωμαχίαις ac minutulis distinctionū sectionibus in lib. quæst. congestis? aut illis tuis ad oculum demonstrationib. ? Quasi ante te nemo rectū viderit, tu primus solusq̃ Hosmanne acutum cernere cæperis? Et tu conspicio non opus esse putas, ut quæ hæctenus videre nemo potuit, à te primū tam subtiliter explicata, nos quoq̃, quibus hebetes magis oculos natura dedit, acie nostra assequamur? Sed, quæ hominis vitia sunt missa facimus. Quæ verò in doctrina ejus hærent, breviter & perspicuè aperire, ac


ne decipi se inanibus verborum strophis finat, lectorem monere hoc tempore instituimus. Atque hoc quo rectius fiat non ad singulas theses, & inanes Sophismatum nugas illius respondere (id enim longum nimis, & molestum foret) sed paucis oppositis antithesibus, rem ipsam atque sententiam, quam verbis tegit ac tuetur disputator, investigare in animum induximus.

Hanc si ita excusserimus, ut nihil in ea sani esse, omnibus qui oculos modo avertere non volunt, apparere possit quocumque etiam fucō pingatur: Laudem Sophisticæ, quam in disputando sequitur, homini gloriæ appetentissimo non inviti relinquemus. Fruatur sanè isthac fama Hoffmannus, quod falsis veri quandam speciem induere, & quæ plana sunt tenebris involvere possit: Nobis satis erit, si simplici animo nudam ac simplicem veritatem amare sectarique videbimur. Adesto igitur nobis benigne Lector, & quæ dicentur plana & brevia, æquo animo discernito.

ΕΛΕΓΕΙΣ
GENERALIS DI-
SPUTATIONIS ET

THESIUM D. HOFFMANNI, PAU-
cis antithesibus exposita, quibus ostenditur ad
oculum, ut ipse loquitur, quàm vana sit doctrina
omnis, quam thesibus suis assertam Hoffmannus
cupit: Quàmq; inepte triumphat, qui ne veli-
tem quidem unum ex parte adversa
confecerit.

Thesis I.

 U i verba & Syllabas ad ingenium
ostentandum minutim secatac ma-
xima rerum vitia, quæ verbis te-
guntur, videre non vult, non ineptus solum
est, sed flagitium quoq; committit.

II.

Hoffmannus autem (Quod Quæstio-
nes ejus & demonstrationes & Theses osten-
dunt) verba quidem & syllabas ad ostentan-
dum ingenium suum tam minutim secat, ut
atomos dividere, & teredinum præcordia
rimari velle videatur.

A 4

Ac

III.

At rerum vitia tam magna verbis involvit, ac de industria videre recusat, ut Solis luci obstrepere, aut nivis candorem negare pari ratione ac conscientia possit.

IIII.

Etenim aut ipse veré non credis Hoffmanane, de quó tam ambitiose differis, & quod credendum aliis magna autoritate injungis, damnationis quoq; metu proposito.

V.

Aut, si id credis: Martionem, Eutychem, aliosq; hæreticos nobis refers, totiesq; damnatum dogma tacitus instauras, ac animo tuo amplecteris, quamvis verbis profiteri non aulis, aut contra etiam protesteris: Quod illis ipsis hæreticis cum commodum erat, maximè solenne fuit.

VI.

Aut, si ne hoc quidem agnoscis, necesse est, te promiscuè assentiendo contradictoriis, omnia in sacris literis incerta facere, ut ea ratio, si valere debeat, nihil certi in iis, quæ certissima nobis esse debent, tenere possimus.

VII.

Quartum enim quo recipere te possis,
non

non habes, cum magicam consecrationem Pontificiorum per verba operatoria ipse detesteris.

VIII.

At verò tria illa an non enormia rerum vitia sunt, quantumvis speciosis verbis & subtili disputatione vestiantur?

IX.

Conclude igitur ipse: Aut quomodo evadere queas, ostende.

X.

Ostendes autem tūm, cum probaveris, intellectum ab homine, verbo Dei & luce Spiritus sancti illustrato renato & penitus sublato, iudicium & in eo restare nullum & illud *ὄννεχῶς καὶ τῶ πῶληροφορίαν ἐκείσε ὅ τῶ ἰδίῳ νοὶ* ex sacris literis sustuleris.

XI.

Atq; hæc ne quis verbo tantum dici a nobis putet, age verò mysteria doctrinæ Hoffmannicæ aperiamus, atq; inde, quam verè hæc dicta sint, ad oculum demonstramus.

XII.

Quid est igitur, quod Hoffmannus suis scriptis assertum vult, atq; aliis credendum præcipit e

A 5

Nem.

XIII.

Nempe hoc est, quod verba Christi porrigentis panem & dicentis: Hoc est corpus meum, simpliciter & citra omnem figuram καὶ τὰ τὸ ῥητὸν, sint intelligenda.

XIIII.

Et quod ex hoc attexit. Quod corpus Christi pro nobis traditum, realiter & veré, ac secundum ipsammet suam substantiam simul sit in cælo & terra, adeoq; in omnibus illis locis, in quibus panis ille consecratus in manu, patina, ore est, sive in pane, sive sub pane, sive cum pane. Quod hac thesi dicitur id inter articulos fidei numerat Heshusius Til. Fil. in suis propositionibus inquisitoriis.

XV.

Præterea quod corpus illud essentialiter præsens in infinitis locis simul, sit invisibile, incontractabile, extra partes, id est, extra proprietates omnes, & definitionem ipsam corporis.

XVI.

Deniq; quod corpus illud idem in cælum sublatum, adeo tamen præsens etiam in terra sit per infinita pariter loca, ut & os corporis nostri veré idprehendat, & impiorum quoq; labia & dentes substantiam ejus percipi-

cipiant, licet stupidi sensus quid hoc sit non
assequantur.

XVII.

Atque hæc omnia simpliciter ex ῥητῶ vult
intellecta, nulla idonea figurarum Sacra-
mentalium interpretatione admissa.

XVIII.

Atqui primum istud de verbis domini,
haud dubie contra sanum sensum verbo-
rum Christi, & circumstantias omnes insti-
tutionis sacrae cœnæ, naturamque Sacramen-
torum, ac consensientem explicationem or-
thodoxorum patrum pugnat.

XIX.

Alterum, corpus Christi illocale, indi-
mensum, incircumscriptum, in innumeris
simul locis longoque intervallo disjunctis
præsens omnino ponit, realiter & præsentia
quadam absoluta, extra κοινωσίαν cum homine.

XX.

Tertium tollit à corpore Christi reliquas
proprietas essentielles corporis, non quas
humana ratio constituit, sed quas ipse
CHRISTUS tanquam veras corporis
notas, quibus à Spiritu differt, corpori
suo etiam à resurrectione assignavit, atque
ita loco corporis, sublata ejus definitione,
Spiri

spiritum reponit aut φάντασμα. Ponit enim corpus Christi, quod videri & tangi non potest, imo quod nec carnem, nec ossa habet.

X X I.

Quartum & postremum παράδοξα absurda varie miscet, & priora illa de corpore Christi temere contra mentem sacrarum literarum asserta, evidentius etiam ad sensum hæreticum trahit.

X X I I.

Porro autem ob has ipsas assertiones, quas vel palam profitebantur, vel tacite fovebant, de corpore, servatoris nostri illocali, indimenso, ἀπεριγραπτό, simul in cælo & in terra per varia loca præsentis, invisibili, impalpabili, Eutyches aliiq; ex Ecclesia eiectioni, ac pro tetræ hæreticis habiti sunt. Quod negari non potest.

X X I I I.

Hæreseos, inquam, damnavit Ecclesia orthodoxa eos, qui ullo modo vel hiscere audebant de corpore Domini nostri infinito, indimenso, incircumscripto, pluribus in locis in cælo & terra pariter præsentis, invisibili, intractabili.

X X I I I I.

Sensit enim & verè sensit, ac pro regula
certa

certa hoc habuit, quod à Christo præcepto-
re didicerat, extra proprias istas notas suas,
aut essentialia ἰδιώματα verum corpus haud
esse.

XXV.

Et figmentum tantummodo inane & ab-
surdū esse adeoq; contradictionem impossi-
bilem implicare, si quis de corpore sine cor-
poreis hisce proprietatibus, quibus natura
ejus continetur, aut cogitando aliquid con-
ciperet, aut loquendo deliraret.

XXVI.

Et contestata clarissimis verbis eadem
Ecclesia est in scriptis Patrum Naturam cre-
atam non recipere in se, ea quæ propria sunt
Dei. Nec posse verum corpus esse, de quo di-
ci nequeat, videte ac palpate.

XXVII.

Nec ullum caput doctrinæ Christianæ
post certamina Arrii diligentius ex sacra
scriptura explicuit, & contra hæreticorum
astum & fraudes varias munivit, quam hoc
ipsum, velut primarium fundamentum sa-
lutis nostræ.

XXVIII.

Age verò, esto quisquam tam inscius aut
impudens, ut horum, quæ tam clara sunt, in-
ficiari

ficiari quicquam aufit. Hunc non difficile nobis erit vel inscitiae vel impudentiae convincere.

XXIX.

Ergo, Hoffmanne, si idem hoc tu quoque sentis & asseris, ob quod illi olim hæreseos damnati sunt, id est, si verè credis, quod confessio tua habet, cur non idem de te iudicium Ecclesiae expectas?

XXX.

Sin id non sentis, quod verba confessionis tuae præ se ferunt, & tute non credis ex animo, quod doces, cur alios ad id ipsum credendum adigis, eosque, qui assentiri non possunt, persequeris & condemnas?

XXXI.

Hic Rhodus, hic Salta, quantum potes, inclyte Doctor.

XXXII.

Aut cum Eutychete curris, Hoffmanne, si vera esse credis, atque ex animo sentis, quæ verbis confiteris.

XXXIII.

Aut si id non credis, necesse est, te naviter improbum & impudentem esse, qui alios cogere vis, ut credant, quod tuamet fides capere non potest.

Itc.

XXXIII.

Iterum te appello, Hoffmannne: Explica te hic, virescē tuas ostende. Si corpus Domini verē & re ipsa credis ἀπερὶ γράμματον, ἀόριστον, multipræsens, insensibile esse definitionem corporis tollis, & Eutychianus es, non minus quā ubiquitarius Jacobus Andreas.

XXXV.

Sin verē hoc non credis ac statuis, dissentit à fide tua confessio & doctrina.

XXXVI.

Immerito cō nos persequeris, quod hypocrisis tecum agere non possumus.

XXXVII.

Cur enim damnamur, & ejicimur, nisi quod corpus extra istas corporis proprietates cum Eutychete contra sacras scripturas ac Symbola sanctorum Patrum confiteri veremur, justam cō Ecclesie censuram, quæ contra hæreticos olim viguit, meritò etiamnum reformidamus.

XXXVIII.

Quidē hiccine tibi aqua non hæret Hoffmannne? Hæret verò omnino, quod tua tibi dicat conscientia. Nec expedies te, nisi ad illud fortē confugium recipere te non erubescas, quo uti quosdam tuendi nominis sui gratia

gratia non puduit. **Contradictoria**
hic pariter esse vera, id est, nigrum
esse album, & album esse nigrum, bonum &
malum, calidum & frigidum, tenebras & lu-
cem, veré esse unum & idem.

XXXIX.

Quo absurdo nullum ne fingi quidem ab-
surdius aut vanius, aut veritati inimicius po-
test. Cujus assertores veré Θεόμαχοι sunt.

XL.

Tale autem est Christi corpus definitum,
circumscriptum, locale, sensibile, in cælo, in
proprietatibus veri corporis consistens,
cum commodum est, confiteri, ut apud im-
peritos Eutychianæ hæreseos crimen & da-
mnationem evitare velle existimeris: Ac
Christo ipsi diserté contradicere non videar-
is: Et vicissim, idem corpus Christi veré &
realiter, non quantum, non circumscriptū,
non locale, non sensibile, simul in cælo &
terra in innumeris locis extra veri corporis
proprietas, asserere, ut placitum vestrum
Sacramentarium vobis saluum sit.

XLI.

Ecce iterum Rhodus hîc, saltusq; : hic euge
probato

Saltando quantum valeas ter maxime Do-
tor, Aut

XLII.

Aut enim hæc verè contradictoria sunt, aut nulla esse possunt: Unum corpus verè & realiter simul circumscriptum & incircumscriptum, uno tantum loco præfens, innumeris in locis, in cælo ac terra pariter præfens: Item, corpus idem re ipsa simul sensibile & non sensibile: Idem proprietatibus iisdem non præditum: Idem corpus definitioni suæ non congruens, id est, ut uno verbo dicatur, idem corpus, & non corpus, idem corpus & spiritus:

XLIII.

Corpus quippe Christi, unum & idem numero, atq; id quidem verum ac reale corpus, quod ex Maria assumptum, in unione cum λόγῳ personali subsistit, in utraq; hujus contradictionis parte intelligimus, sine omni pluralitatis cogitatione.

XLIIII.

Hætenus enim nobiscum te sentire, nec diversorum corporum mentionem ferre posse arbitramur.

XLV.

Deinde tempus quoq; unum & idem omninò intuemur.

B Deniq;

XLVI.

Denique in prædicatis utrobiq; adumponimus, id est, rem ipsam, quæ est.

XLVII.

Id enim designant particulae adhibitæ, realiter & verè: Alioqui, verum sine veritate, & reale sine re intelligeretur.

XLVIII.

Hoc inquam volunt determinationes istæ, ut non intelligatur in re de qua dicitur, non autem de figmento cogitatione humana concepto, quod nec est, nec esse potest.

XLIX.

Atq; ideo intelligimus corpus Christi realiter verè circumscriptum & sensibile, non quod ex se aut ratione suæ naturæ tale quiddam esse possit aut debeat, sed quod actu iam tale sit in ipsa cum verbo unione.

L.

Nec te alium hic sensum habere, profiteri audebis.

LI.

At contradictoria hujusmodi, in quibus actus utrobiq;, cum eodem tempore intelligitur, simul vera esse non possunt. Quicunq;
etiam

etiã respectus commentitii à tergiversan-
tibus adhibeantur.

LII.

Quomodo enim actus duo in una eã-
demq; re contradictoriè oppositi simul stare
possunt?

LIII.

Ad quod ἀξίωμα ecquid habes Hoffmann-
ne quod dicas? Ecquid sentis, quæ vis ejus
sit, & quò te vel invitum adigat?

LIIII.

Nam è duobus si alterum tenere vis, ne-
cesse est omninò, ut alterum vicissim volens
nolens dimittas.

LV.

Si realem multipræsentiam ac formam
insensibilem corporis Christi, cujus nullæ
sint partes, nulla accidentia, id est, si figmen-
tum illud cogitationum tuarum tantopere
amas atq; amplecteris, ut dimittere non pos-
sis, profectò, quod de realiter & verè cir-
cumscripto, quanto, sensibili eodem illo
corpore in personæ ὑποστασει dicis, id de
inani respectu ac consideratione, non au-
tem de actu te intelligere, omni ratione con-
fiteri cogeris.

B a

Atq;

LVI.

Atque ita rursus cum Eutychete in hac parte sentire, cuius hoc dogma erat, & orthodoxam confessionem, quæ actum ponit, missam facere, evidenter convinceris.

LVII.

Sin confessionem orthodoxam de corpore Servatoris nostri vero, realiter circumscripto, sensibili, quanto, in unione personali deserere te pudet: Quo ore, quave conscientia, realem illam tuam multipræsentiam, & formam insensibilem, de qua in Sacramenti ratione tumultuaris, quæ re ipsa superiori est ἀντιφασικῶς opposita, retinere ac simul asserere possis, tu videris. Animum quidem tuum tibi aliud dicere, haud dubium est.

LVIII.

Nam ut prius dictum est, de uno & eodem vero corpore Christi hinc agitur: Et duæ ejusmodi pugnantes aut contradictorie sibi oppositæ ἐνέργου in uno eodemque subjecto locum habere non possunt: Semperque una alteram elidit.

LIX.

Atque hæc adeo Regula est divini & humani

mani iudicii immota & æterna. Quam qui
evertere volunt, DEO bellum inferunt, qui
ordinem hunc sanxit, Ejusq; veritati vim
adferre conantur, Gigantum æmuli, qui cæ-
lum quondam affectasse dicuntur.

L X.

Quibus tandem hoc conficitur: aut te
θεομαχῆν, si regulam hanc non recipis: aut
alterutrū verum esse, quod ex hac recte con-
tra te concluditur: aut deniq; prætextu di-
versi respectus, ut contradictionem effugias,
in duo diversa corpora vel invitum reci-
dere.

L X I.

Hæc Helena est pugnaq; locus, sume arma,
probaq;
Pancraticis quantum valeas Hoffmannelac-
certis.

L X II.

Nec est quod ad omnipotentiam DEI
præposterè ac subdolè te recipiens, latebras
quæras Quod si feceris, absurdum solum-
modo absurdo cumulabis.

L X III.

Quid enim? DEI potentia veritatem
ejus evertit? aut voluntatem præcurrit? aut
quia Deus aliquid potest, ideo etiam est?

B 3

Certè

LXIII.

Certé profanus, qui hoc affirmaverit. Namque ita omnipotentiam astringere & interpretari, nihil aliud est, quam DEUM sibi contrarium fingere, ac se suamque veritatem evertere.

LXV.

Quo delirio fuisse fascinosos quondam Eutychæos, atque ideo ab orthodoxis merito exploros ex Theodoretii dialogis est manifestum.

LXVI.

Pleraque enim illic contradictoria simul asserit Eranistes Eutychianus prætextu omnipotentiae divinae, dum temere voces quasdam ex sacris literis arripit, non attendens ad verum sensum, ac consensionem in verbo Dei perpetuam, & ἀναλογίαν fidei.

LXVII.

Ostendit verò illi orthodoxus, multa esse, quæ non possit, qui tamen omnia potest, DEUS, ut sunt mori, peccare, pati, diversum fieri, seipsum negare.

LXVIII.

Additque, talia non posse, non esse imbecillitatis, sed infinitæ potentiae argumentum: posse verò, non potentiam sed impotentiam arguere.

Nec

LXIX.

Nec est omninò in hac causa, quid Deus possit, cujus potentia certè immensa est, sed quid velit, inquirendum.

LXX.

Nam non quicquid potuit aut nobis fortè cogitando occurrit, sed quicquid voluit, hoc fecit. Voluntas enim potentiae ejus velut terminus quidam est.

LXXI.

Nec absurdior argumentatio ulla est, quàm quæ à posse ad inesse procedit, ut scholæ Dialecticæ loquuntur.

LXXII.

DEI autem voluntas haud dubiè æstimanda nobis est ex sano intellectu, veròq; sensu verborum ejus, quæ nobis testimonia veritatis suæ reliquit, non autem ex qualibet voce temere arrepta, atq; ad literam interpretata.

LXXIII.

Quibus posthabitis, si contradictoria miscere nobis, exemplo hæreticorum, concessum existimabimus, propterea quod Deus omnia possit, quid quæso erit in doctrina Christiana, imò quid erit in cognitione hominis certum?

LXXIII.

Christus erit homo & non erit, Erit frater noster secundum humanam naturam, & non erit, Erit D E U S, & non erit: Ex Maria carnem assumpserit, & non assumpserit: Corpus ejus in sepulchro fuerit, & non fuerit: D E U S erit omnipotens, & non erit, caro nostra ad vitam resurget, & non resurget: Apostoli erunt homines, & non erunt homines. Et similia infinita.

LXXV.

Etenim omnia hæc simili ratione ex sacris literis probari possunt, qua vos idem corpus Christi probatis, realiter simul circumscriptum & incircumscriptum, uno tantum loco præsens, & multis pariter locis secundum substantiam præsens, quantum, non quantum, sensibile, non sensibile, si sic abuti argumento potentiaæ divinae liceat.

LXXVI.

An enim ignoras, Hoffmanne, eundem hunc, qui dixit de pane benedicto, & porrecto, Hoc est corpus meum, dixisse etiam de se, Ego sum vitis, & de fidelibus, vos estis palmites? Et Apostolum, qui de pane eodem dicit, quod sit *κοινωνία* corporis Christi,
eun-

eundem quoque dixisse, petram fuisse Christum.

LXXVII.

Quæ si sine figura κατὰ τὸ ῥητόν intellecta acceperis, etsi alia quidem figura hic est, quam in verbis cœnæ, vides quid sequatur. Et cur admittere id recusas? nisi quia contradictionem implicat cum capitibus doctrinæ indubitatis & certis expressisque articulis fidei?

LXXVIII.

At, respondet tibi aliquis, manifestum hic est verbum DEI: Et DEUS, qui dixit, omnipotens est, ut possit utrumque, quod dixit, simul præstare, etiamsi id nobis fieri non posse videatur.

LXXIX.

Quid regeras quæso, nisi nimis hoc absurdum esse & ἀσυνάτον, cum sic derideatur potius quam extollatur DEI potentia, & contrarietas impossibilis statuatur in voluntate ejus? DEUM enim posse & facere quæ velit: Voluntatem autem DEI perinde ac veritatem, esse unam & simplicem, nec ullo modo secum dissidentem.

LXXX.

B 5

Atque

Atq; ita ex Regula in Ecclesia semper usitata, ad interpretationem convenientem ex figura necessario deveniri.

LXXXI.

Age verò, si in istis hoc vides, cur in hac controversia videre idem recusas? Nam eadem contradictionis & consequentiæ ratio est, ut sexcenties etiam hoc neges, & tenebras offundere claræ luci coneris.

LXX XII.

Nam & hic & illic manifestæ contradictiones fiunt, quarum pars altera articulis fidei certæ, & aperto verbo DE I consentit, altera ἀντιφρατικῶς opponitur.

LXX XIII.

Ecquid enim non vera contradictio hæc est (ut denuò hoc ob oculos ponatur) Idem Christi corpus realiter circumscriptum, & realiter non circumscriptum, Idem omninò realiter uno tantùm loco præsens, & eodem tempore realiter multis in locis præsens, Idem quantum & non quantum, sensibile & non sensibile?

LXX XIV.

Prior verò ejus pars sine controversia vera est.

Quor-

LXXXV.

Quorsum igitur alteram adhuc retines,
nobisq; credendam obtrudis?

LXXXVI.

Itane vero DEUS, quod esse vult, idem
etiam simul esse non vult? Quod te afir-
mare oportet, si dogma tuum salvum habe-
re, & tueri vis.

LXXXVII.

Bonorum virorum enim est, ut tute ais,
ut dum antecedens velint, consequens non
molint.

LXXXVIII.

Et prorsus inanis est prætextus respectus
diversi, ut suprâ est ostensum.

LXXXIX.

Sed nihil inanium aut etiam magis impro-
bum quàm quod adverstante conscientia,
patres in exemplum trahis: quasi illi tecum
aliam in personæ unione, aliam in Sacra-
menti ratione formam corporis Christi ita-
tuerint. Quo nihil est à sensu orthodoxæ
Ecclesiæ alienius.

XC.

Si enim extra unionem personalem,
aut *ἕνωσιν* Mediatoris non fuit unquam

aut est, aut erit illa caro: Quomodo eam
Ecclesia orthodoxa aliter, quam ut in unio-
ne est, considerare potuit.

XC I.

Et, an non perpetuum hoc & certum
Ecclesiae axioma fuit & Fieri non posse, ut
duae ejusmodi pugnantes formae in una
Christi natura realiter simul sint &

XC II.

An non hinc firmissima semper duxit ar-
gumenta à proprietatibus ad probandas na-
turas, & contra &

XC III.

Hoc est, quod Vigilus Martyr scribit con-
tra Eutyech. Una natura contrarium quid &
diversum non recipit in se ipsa. Diversum
est autem longeque dissimile circumscribi lo-
co, & ubique esse. Et quia verbum ubique est,
caro autem ejus ubique non est, apparet unum
eundemque Christum utriusque esse naturae:
Et esse quidem ubique secundum naturam
divinitatis suae, & loco contineri secundum
naturam humanitatis suae.

XC IIII.

Et, quod orthodoxus apud Theodore-
tum dial. 2. cum pugnantia ejusmodi multa
reci-

recitasset, ad Eranisten Eutychianum ait,
Accommoda ergo hæc & illa uni naturæ:
Sed non poteris. Et mox. Sed duas in ipso
naturas considerare, & utriq; tribuere con-
venientia oportet. Si verò una natura Chri-
stus est, quomodo possunt ipsi accommoda-
ri contraria?

XCIV.

Deinde an non Catholici & Orthodoxi
Patris hæc vox est ab Ecclesia universa ap-
probata, Non posse verum cor-
pus Christi ulla ratione esse ex-
tra nostri corporis veritatem,
id est, extra naturales proprietates? Si nulla
ratione, Ergo ne in Eucharistia quidem.

XCVI.

Item, non posse Verum corpus ef-
fe, de quo verè dici non possit:
Palpate & videte? Verum autem
corpus promissum nobis est in sacra cœna.

XCVII.

Et Augustinus te liberè refutat, dicens:
Tolle spacia locorum à corporibus, & nus-
quam erunt: Et quia nusquam erunt, nec
erunt, Episto. 57. Et alibi: Corpus Christi in
quo

quo resurrexit, in uno loco sit oportet. Item,
D E U S totus in cælo est, totus in terra, non
alternis temporibus, sed utrunq; simul,
quod nulla natura corporalis potest. Cui
Ambrosius consentit: Omnis creatura, in-
quiens, certis suæ naturæ limitibus est cir-
cumscripta: Nec creatura dicenda est, quæ
non habent circumscriptâ determinatamq;
substantiam, & virtutem.

XCVIII.

Nec apertius quicquam ad hanc rem, quàm
quod Cyrillus in Dial. I. 2. scripsit, Ne Deum
quidem sine loco & magnitudine & quanti-
tate esse futurum, nec circumscriptionem
effugiturum, si corpus esset.

XCIX.

Ergo Cyrillo utiq; & cæteris, corpus esse
non potest, quod tu sine loco, sine quanti-
tate, sine circumscriptione, sub pane realiter
multipræfens, exutum omnibus accidenti-
bus ponis. Nec piorum cuiquam in Eccle-
sia, vel per somnium tale delirium in men-
tem venit.

C.

Imò vero sensit hoc & docuit Ecclesia
concordibus animis, Servatoris & magistri
sui vestigia secuta, quòd unum & idem illud

COR-

corpus ipsius tale omnino sit in Eucharistia,
quale est assumptum, & pro mundi vita da-
tum. Nunquid verò non assumptum, & pro
nobis traditum est circumscriptum, quan-
tum, visibile, palpabile?

C I.

Et quam aliam ob causam ab Eucharis-
tiae ratione argumenta semper duxit ad ve-
ritatem hanc carnis Christi, quæ salvas has
proprietas naturæ suæ retineret etiam in
unione, demonstrandam contra hæreticos?
Id sane, si tibi Ecclesia assensisset, omnium
absurdorum fuisset absurdissimum & inep-
tissimum.

C II.

An vero etiam é patribus quispiam de
veritate carnis Christi, ac proprietatibus
ejus essentialibus disputans, vel verbulo ex-
cepit rationem ejus in Eucharistia? Quod
facere illos res coegisset, si quis ejusmodi sen-
sensus, vel saltem suspicio ejus, in Ecclesia
hæsisset.

C III.

An hæreticorum quisquam argumento ta-
lis sententiæ de Eucharistia abusus est ad sua
phantasmata stabilienda? Quo tamen nul-
lum potuit iis esse convenientius.

An



CIIII.

An non potius contra hæreticos gloriata est Ecclesia, Eucharistiam consonam esse cum orthodoxa sententia de vero corpore Christi contra hæreticorum corruptelas, ac orthodoxam sententiam vicissim consentire cum Eucharistia?

CV.

An non frustra eos communicare in mysterio patres orthodoxi testantur, qui corporis has proprietates non agnoscunt?

CVI.

Denique an non Cyrillus, cui multum omnes tribuunt, Christum in sacra cœna visibilem haberi in corpore, & carnem suam tangendam præbere in fidem veræ resurrectionis disertè profitetur?

CVII.

Vanum ergo hoc subsidium ab Ecclesia vetere tibi quæsitum.

CVIII.

Et sanè vel unus hic Cyrilli locus docere te debebat, quis Patrum sensus sit, cum Sacramentalibus locutionibus ad exemplum Spiritus sancti interdum utuntur.

CIX.

Ac te perperam ad eò facere, qui, quæ illi
mysti-



mysticè & figuratè dicunt, sine figura, ac si propriè loquerentur, intelligis, ac tuo somnio coaptas.

CX.

Præsertim cum se lucidissimis verbis Patres passim explicent, ut nemo discere & videre volens sensum eorum ignorare possit.

CXI.

Est verò ineptissima argumentandi ratio in omni doctrinæ genere, cum figurate dicta pro propriis accipiuntur.

CXII.

Recolligo superiora. Aut non credis ipse Hoffmannè, quod doces, verbaq; venditas: Aut planè Eutychianus es: Aut deniq; omnia reddis in Theologia, imò in omni doctrina, pariter asserendis contradictoriis, incerta. Elige, quod vis: In crimine, aut hæresi eris.

CXIII.

Hic Rhodus, hic salta, si quid potes, ò bone Doctor.

CXIII.

Si credis ex animo, quod loqueris, Eutychianus es: Si non credis & nos tibi credere vis, improbus es: Si pariter credis & non credis,

C

dis,

dis, incerta fide es, vagus, varius lingua & animo duplex es, deniq; nihil credis.

CXV.

Age alia quoq; tua videamus. Tu verba coenae κατὰ τὸ ῥητὸν esse accipienda contendis, ita ut nec in extremis, nec in copula, nec in prædicandi forma ulla intelligatur figura.

CXVI.

At hoc pontificiam μετροσίαν proximè attingit & stabilit, ut millicies etiam id perneges, Hoffmannè, tuam verò quam in confessione habes, sententiam planè evertit.

CXVII.

Igitur aut ad Papistas tibi transeundum, aut ista πρὸς τὸ ῥητὸν pugna missa facienda.

CXVIII.

An non rursus hæerere te cognoscis tecumq; in eplicatione dissentire, aut meras tantum verborum præstigijs venditare?

CXIX.

Etenim si verè sentis, verba coenae, Hoc est corpus meum, extra figuram omnem esse, cum Pontificijs curris, quorum μετροσίαι inde conficitur,

Sin

CXX.

Sin pontificium dogma ex animo rejicis,
cur tantopere de sensu literali contra figuras
Sacramental es digladiaris?

CXXI.

Frustra verò, ut effugium habeas, ad in-
usitatas prædicandi formas te recipis. Nec
enim obscurum est toto genere sacramen-
tales hæc ab istis disidere.

CXXII.

Istæ enim personalem divinæ & huma-
næ naturæ unionem, & quæ hanc sequitur
idiomatum communicationem, quæ fit in
concreto, hæc ordinationem signi ad rem
significatam exprimunt.

CXXIII.

Unde diversissima quoque enunciandi ra-
tio exoritur.

CXXIV.

Panis enim dicitur esse corpus Christi,
signo quoque signatum rectè attribuitur.

CXXV.

Tu similiter si dixeris, humanitatem in
Christo esse divinitatem, naturam de natura
disparata prædicando, hæreticus habebere.

C 2

Item 2

CXXVI.

Item, corpus Christi sæpe apud patres dicitur, & panis sacratus intelligitur, ac de corpore multa enunciantur, quæ pani verè insunt, & contingunt. Quod negare ipse non audes.

CXXVII.

Hæc tu si ad naturas in Christo unitas transtuleris, è recta fide recedes.

CXXVIII.

Et cur misces Hoffmannæ, quæ tam diversa esse tota quæ ratione dissidere, volens nolens cogaris agnoscere?

CXXIX.

Si aperire animum tuum & quod verum est, fateri ingenuè voles, cuniculum te fodere ad veritatem labefactandam confitebere.

CXXX.

Quo verò candore Melanthonem & Scholasticos hinc probas ob constitutam usurpatamque speciem sive inusitatarum sive singularum prædicationum, cum tam liberè longeque ab eorum doctrina in hac parte recedas, ac falsum eos docere contendas?

CXXXI.

Illi enim ad solas locutiones de filio Dei
ob

ob unionem personalem, hanc speciem pertinere tradunt: Id, quoniam tuo placito non congruit, tu liberé pernegas.

CXXXII.

Nec sané adeó subductæ vobis rationes sunt in explicando ac tuendo τῷ ἑμῷ, ut etiam si ingens illud atq; ἀόυσαιτον prorsus παροξύνου de corpore incorporeo vobis concedatur, tamen consentire inter vos possitis.

CXXXIII.

Ut enim de reliquis nihil dicam, de subiecto propositionis hujus, Hoc est corpus meum, non leve vobis dissidium in explicatione esse, ne tu quidem diffiteri audes: atq; hujusmodi id quidem ut non modo alii ab aliis, sed singuli etiam à se, inter quos principes sententiæ vestræ sunt, dissideant.

CXXXIII.

De prædicato autem quanta vos contentio agitatur?

CXXXV.

Frustra igitur consensum & securitatem vestram jactitas.

CXXXVI.

Et quomodo conciliabis ea, quæ de modo præsentia, atq; unionis tam diversa asse-

C 3

rere

tere non vereris? Ignotum enim illum esse,
nec quicquam de eo definiri inquire debere,
cum tibi hoc expedit, & quod dicas, amplius non habes, nugacissime pronuncias.

CXXXVII.

Rursum ubi placet, tot verbis eum describis, ut ad oculum repræsentare velle videaris.

CXXXVIII.

Quid enim aliud volunt illa: Corpus Christi præsens est in pane, cum pane, sub pane, realiter substantialiter, corporaliter, secundum ipsam essentiam, omnibus in locis, ubi cœna celebratur, modo invisibili, incontrectabili, ὑπερφυσικῶς cælesti, supra rationem sæculi hujus, ut tamen manus & os externum corporis, tum fidelium tum infidelium id ipsum verèprehendant, & dentes etiam conficiant. Hæc enim omnia habent, quibus cum te consentire fateris.

CXXXIX.

Nec ipsi solum ita loquimini, sed alios etiam, ut idem vobiscum confiteantur, adigere, intentatis exiliis, conamini.

CXL.

Quoties verò vestri propositionem hanc:
Hoc

Hoc est corpus meum, ut eam non abhor-
rere communi consuetudine, & intellectu
facilem esse, si ex vestro sensu explicetur o-
stenderent, per istas familiares exposuerunt.
Hoc est ignis, monstrato ferro ignito, Hoc
est pecunia, ostensa crumena, Hoc est vi-
num, poculo cum vino exhibito &

CXLI.

Quam explicationem nec tu rejicere au-
des (magnum enim authores habet) nec quo-
modo cum tuo hoc placito, de forma prædi-
cationis inusitata, & præsentia modo igno-
to & arcano conveniat, dicere potes.

CXLII.

Et quo uteris ad hæc probanda argumen-
to? Quia nimirum patres mysterium hoc
cum unione personali interdum confe-
runt.

CLXIII.

Igitur eandem prorsus rationem ha-
bent, quæ comparari in aliquibus possunt &
Ergo etiam modus conjunctionis ferri cum
igne, non solum ignotus est, sed inusitatus
etiam loquendi formas parit.

Et

CXLIII.

Et hosce nobis nodos Hoffmanne dissol-
ve, aut tecum te in explicatione non consen-
tire, fatere.

CXLV.

Remittimus verò tibi responsionem ad ea,
quæ vestram illam sententiam comitantur,
planè inextricabilia, quoniam ita vis. Nam
hanc ob causam, ne quid respondere neces-
se habeatis, ad ignoratum hunc modum vos
confugere, non nescimus.

CXLVI.

Hoc solum nunc contra te infero: Si rea-
lem corporis Christi præsentiam statuis in
omnibus locis, ubi S. cœna ritè celebratur,
corporalem utiq; præsentiam dicis. Nec pu-
to à præceptoribus tuis dissidere te velle, aut
doctrinæ eorum te pudere.

CXLVII.

At Augustinus contra Faustum Mani-
chæum lib. 20. affirmat propter corporalem
Christi in pluribus locis præsentiam plures
concedendos esse Christos.

CXLVIII.

Ergo negare non potes, quin Augustinus
de pluribus Christis tibi impin-
gat.

Nec

CL XIX.

Nec effugium habes, nisi linguas confundere, & Eutychianos imitari voles, qui in similes angustias redacti, ut tamen sua retinerent, dicebant, τὸν λόγον (nimirum naturam filii divinam intelligentes) immutabilem sine conversione mutatum esse aut mutationem sustinuisse in carnem: eundem qui pati & mori non poterat, impatibiliter passum, & mortuum esse, modo ipsi cognito: se autem scire, nihil ei esse impossibile.

CL.

Porro, de Est ὑπερκρικῶς significante quàm subtiliter disputas, tam naviter calumniaris.

CL I.

Et de Metonymiæ ratione nugaris, aut certè nugati sunt omnes, qui de synecdocha Sacramentali ante te scripserunt.

CL II.

Aliud verò ingens argumentum vanitatis in doctrina tua, quod Regulas interpretandi scripturam secundum Analogiam fidei ab Ecclesia semper usurpatae ferre non possis, ac tuis examinandis adhiberi nolis.

CL III.

An non isthæc confessio est, Fidei, totiꝰ
C 5 doctrinæ

doctrinae Christianae dogma tuum non esse
ἀνάλογον?

CLIIII.

Quid? si etiam ultima disputationis tuae
Sacramentariae assertio cum natura & ratio-
ne Sacramentorum pugnet?

CLV.

Quod cum per se evidens & saepe demon-
stratum, tum vos ipsi non obscure confite-
mini.

CLVI.

Quam enim aliam ob causam tantopere
averfamini argumentum ex Sacramentorum
genere & natura petitum? Cur Sacramenti
vocem tam exosam aut suspectam habetis,
ut si quis eam in medium explicandae quae-
stionis gratia attulerit, statim ad nomen e-
jus, velut ad ὑπουλον, aut paratam fraudem
exclametis?

CLVII.

Deinde, ut alia plurima mittam, Christo
ipsi é Diametro contradicis, Esurum carnis
suae, totumque hoc mysterium apud Joh. cap.
6. explicanti.

CLVIII.

Eum vero locum huc pertinere, non pa-
tres solum omnes docent, quorum major est,
quam

quam tua apud nos authoritas, sed ipsa quoque convincit veritatis evidentia.

CLIX.

Denique Patrum consensus, totiusque Ecclesie orthodoxae, conclusionibus tuis ad-
versatur. CLX.

Cujus rei tam evidens & manifesta veritas est, ut mirum sit, risum vos inter vos tenere posse, quoties Patrum sententiam pro vobis citatis, Augustini & Theodoretii praefertim, quos in ore ferere habetis.

CLXI.

Quod si non agnoscis, age verò Hoffmannè, causam hanc, quae tibi nobiscum controversa est, apud patres arbitros, quos tibi deferimus, aude nobiscum compromittere.

CLXII.

Atque hoc quomodo honeste defugere possis, qui eorum cum tuo dogmate consensum tam magnificè jactitas, ac isto nos premere argumento gaudes, ego non video.

CLXIII.

Bonorum enim virorum est, ut, quos ultro ipsi sibi testes aut arbitros advocarunt, eos deinceps sine causa non repellant.

CLXIV.

Itaque de novo contestor, solenniterque te, Hoffmannè, appello: Aut Ecclesiam veterem litis nostrae

stræ iudicem admitte: aut, si id recusas, contra eam non minùs, quam contra nos, obscure Sophisticando te niti, libere confitere.

CLXV.

Hic Rhodus, hic saltus: Vires hic exere, magne
Doctor, opum atq; operum jactator vane
tuorum.

CLXVI.

Nec verò putidius quicquam est, quàm id, quod tui quidam, proximè tibi devincti, magni Magistri, solenne habent: qui primum de patribus magnificè gloriati, atq; eo nos argumento ultrò laceffentes, mox ubi manifestioribus repulsi sunt, è vestigio se vertunt, patresq; ajunt varios & incertos esse, nec solum inter se dissidere, sed singulos etiam sibi esse contrarios.

CLXVII.

Belli sanè homines, & egregii Ecclesiæ Orthodoxæ laudatores, digni quos ipsa in gremio præ cæteris foveat.

CLXVIII.

Hi quidem ex vestro ingenio patres æstimant, qui contradictoria in doctrina vestra admittere, ac simul tueri non veremini.

Patres

CLXIX.

Patres quidem orthodoxi, ne erretis, probé in hac parte consentiunt, & sibi constant, etiamsi discrepantia interdum dicere vobis videantur.

CLXX.

Nisi forte Spiritum sanctum in sacris literis etiam secum dissidere similiter argueritis, propterea quod proprié interdum & simpliciter, interdum figuraté loquitur.

CLXXI.

Et tuam quoq; hic conscientiam, Hoffmanné, appello, quæ tibi dicat, quod tu de significationis ratione in Sacramento commentaris, id cum patrum explicatione, atq; imprimis Augustini, nequaquam convenire.

CLXXII.

Postremò Coronidis loco hoc expendendum tibi seriò committo. Tu manibus atq; ori externo attribuis prehensionem & esum ipsius rei internæ & cælestis in Sacramento.

CLXXIII.

Eam autem dicis insensibilem, incircumscriptionem, indefinitam, infinitis locis simul præsentem.

At

CLXXIIII.

At quod tale est, vel Spiritus, vel nihil est, ergo corporis organis comprehendi non potest.

CLXXV.

Sic rursus doctrina tua de orali manducatione semel ipsam evidenter evertit, ut expugnatoribus aliis non indigeat.

CLXXVI.

Unde & hoc sequitur, te Sacramentum, quod Ecclesiae suae Christus commendavit, evacuare.

CLXXVII.

Cujus enim rei caelestis esum & potum in coena Christus fidelibus suis commendavit? An non corporis & sanguinis sui pro nobis dati & effusi & rei nimirum visibilis, contrectabilis, finitae, circumscriptae?

CLXXVIII.

At tu, eo dempto, somnium cogitationum tuarum substituis, corporeae essentiae ex diametro oppositum.

CLXXIX.

Maximé autem mirum, Hoffmanné, tantas verborum pugnas contra nos de Sacramen-

menti hujus sensu ac interpretatione te cie-
re, quæ hæresin magnam, evidentem, execra-
bilem, tibi quoque agnitam & adversam, inter
tuos habes, quibus cum in mysteriis commu-
nicas, quosque pro fratribus agnoscis: Prodi-
giosum illud monstrum ubiquitatis Euty-
chianos dico, quo nihil absurdius & à sa-
cris literis alienius ne cogitari quidem po-
test.

CLXXX.

Carnem enim Christi in omnibus quæ
ubi que sunt rebus, realiter & corporaliter præ-
sentem ponit, in cælo, in terra, in aere, in
plantis, in frugibus, in pomis, in lapidibus,
in ollis, in cantharis, denique in cunctis, quæ
nominari possunt.

CLXXXI.

Hanc tam tetram hæresin, quæ funda-
mentum fidei præcipuum de persona Chri-
sti convellit, toties ab Ecclesia orthodoxa
damnatam, expurga, atque extra limina Ec-
clesiæ vestræ, quod par est, primum dispu-
tando damnandoque propelle: Tum, si libet,
ad nos potius revertere.

CON-

CONCLUDO. Frustra itaq̃ verba tam
 subtiliter secas, Hoffmannē, cum rerum vi-
 tia tam multa, tamq̃ enormia in recessu ha-
 beas, verbisq̃ occultes: Atq̃ ita demon-
 stras, vere te in eorum numero esse, de qui-
 bus Christus cum stomacho pronunciat,
 quod culices colare, & camelos deglutire
 solcant.

Gloria Deo, & honos
 veritati,

ANTI

ANTIDOTI RE-
FUTATIO EX ORE
D. D. Hoffmanni in Schola
Julia excepta.

RESPONDENDUM mihi est
ad quasdam chartas Tene-
brionis, quæ circumferun-
tur & Antidotum promit-
tunt adversus theses mearum
disputationum de cæna.

Non moror coram vobis, charissimi Au-
ditores, convitia, quòd à me propositas the-
ses inanes & frivolas præstigias, nugas & in-
eptias appellat: Meministis enim ipsi, quòd
aliquot dierum examine publico & gravissi-
mo theses illæ sint discussæ, & demonstratæ
invidiæ: & cuivis, quid aliquid iudicii attu-
lerit ad lectionem Antidoti, prima facie ap-
paret, quòd calumniator ille non fuerit au-
sus vim mearum propositionum, in ipso sta-
tu attingere: sed remotiora advocarit, ad
turbandum, non verò ad erudiendum cen-
sorem. Itaquæ volens, nolens, testis est meas
theses in statu, quem propositum habent,
D. D. Hoffmanni victri-

victrices evasisse, & triumphare doctrinam
Lutheri *καὶ τὸ ἴησ.*

Nomen suum reticet, & tamen se veritatis amantem jactitat, quod quàm verum sit, Christus dijudicet, qui inquit: Perverse agens odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus, Joh. 3. Condonet quoque Deus ipsi hoc apertum mendacium, quo mihi arrogantiam tribuit, & quòd synagonistas meos ex alto omnes despiciam. Neque vos solùm testes estis, quòd me adjungam iis, qui recto sunt corde, & honorificam faciã mentionem eorum, qui de Saxonis Ecclesiis contra Sacramentarios bene sunt meriti: Sed etiã hic criminator seipsum refutat, cum mihi in fine thesium ἡθού lenius vitio vertit, quo multos tolerem, & pro fratribus agnoscam, licet dissentientes à me de ubi-quitate. Qui igitur illis debitum locum non relinquam, qui mecum faciunt, & hoc agunt, ut cū Calvinismo ubi-quitatis dogma in Saxonia conticescat? Quales post Lutherum ubi-quitati, quæ præsentia corporis Christi in S. cœna essentiali conformetur, nunquam faventem, & tamen in Sacramentarios pugnantem, fuerunt & sunt non pauci: inter quos eminere Joachimus Morlinus, Musæus, Heshusius, Chytræus, VVestphalus, Chemnitius, Beccerus, Christopho-

Stophorus Fischerus, Selneccerus, Schilte-
rus, Heidenrichius successor Chemnitii,
Puchenius Lubecensis, ut taceam approba-
tores confessionum Saxoniae mortuos & vi-
vos quam plurimos, quorum synceritatem
& fidem, modò constantiam adhuc pro-
bent, à me celebrari & defendi, vel hi parie-
tes, si loqui possent, testarentur. Et quid ali-
ud mordet istos lividos, quam quòd thesi-
bus meis adscripsi, Beza tumultuante, Tri-
umphare tamen doctrinam Lutheri. Certè
mihi propositum non est, aliquid novi pro-
ferre, sed resectis *παρεργασίαι* tueri veritatem,
quã alii ante me platarunt in his oris, quam-
que Beza, Pezelius, & horum sodalitas, &
Pezelius quidem, contra juratam fidem era-
dicare moliuntur, conantur & laborant, qui-
bus fudes sum in oculis, ut ne suis quidem
uti possint conspicillis, quæ novo artificio,
ut occæcatis oculos sufficiant, fabricarunt.
Et hoc est quod homines istos urit, eosq; ad
convitia, & sycophantica scripta contra me
stimulat, quibus non solum pietatem sed
etiam honestatem violare non verentur.
Verùm calumniis & mendaciis remissis ad
autorem vel hanc ob causam factum infamem,
quod talia suppresso suo nomine spar-
git, ad rem ipsam accedo. Pri-

Primū autem notetur artificium hominis
ad præoccupandum & seducendum lectore,
compositū. Doctrinā de Sacra cœna sic expli-
candam esse censemus ut à verbis institutio-
nis Christi auspiciū faciendum, itaq̃ in iis
commorandum statuamus, ne eorum in-
tellectum, quæ hujus Sacramenti singularia
sunt, aliunde petamus. Quomodo enim my-
sterii singularitas extra sedem & traditio-
nem propriam cognoscetur, & quæ erit in
alienis patefactio peculiarium mysteriorum?
Hanc methodum instituit Paulus apud Co-
rinthios, quem imitatus est Lutherus, ea-
demq̃ semita incedunt nostrates syncerio-
res omnes. Verū neq̃ crassus Cinglius,
neq̃ quisquam interpolatorum erroris Cin-
gliani, ausus fuit hac via cum nostris con-
gredi, & pugnam, quam tamen ad fastum af-
fectuum suorum subinde renovant, sustine-
re, adeo, ut regulam confecerint, sinistro
saltem oculo ad verba Christi respiciendum
esse, dextro verò evagandum, & sic disqui-
rendum primū id, quo sinistrum perstrin-
gas, ne in verbis institutionis veritatem in-
tueatur, ad aberrationem autem dextri ma-
gis conniveat. Sic cum ego initio confide-
randas sumserim propositiones Sacramen-
tales,

tales, quibus Christus in tabulis Sacramen-
tariis usus est, & ad quas tandem redit omnis
disputantium labor, licet diu multumq; ex-
currerint, Flagrio anonymus suorum præ-
ceptorum oblitus, deceptorum autem so-
cietate gaudens, initio statim mihi non
frontem ostendit, sed tergum obvertit, &
de conditione veri corporis Physicam di-
sputationem instituit, quasi verò in Physi-
cis erudiendus esset auditor antè, quàm ad di-
vina mysteria admittatur, ab eo q; juramen-
tum extorquendum, ne quid à Physicis dis-
sentire visum in mysteriis credendum susci-
peret. Hoc verò artificium quis piorum pro-
babit? quis honestorum collaudabit? certè
quod ad seriò decipiendum simpliciores vel
in minutis adhibetur, honestè non fit, neq;
pium erit, quod inhonestum est. Maximè
verò impium minimeq; honestum, quod ad
pervertendum verba Testamenti filii Dei, &
quidem studio fallendi alios, excogitatur &
usurpatur. **D E U S** non irridetur, Galat. 6.
Obsecro igitur vos auditores per **D E U M**
propter salutem animarum vestrarum, ut
sententiam Domini Philippi in extremis
tentationibus probantem magnificiatis: Sic
enim in libello sententiarum patrum adver-

sus Cinglii & Oecolampadii opinionem su-
um experimentum alius præbet documen-
tum inquit: Neq̄ ego ullam satistimam
rationem invenio, cur ab hac sententia di-
scedamus, &c. Vide Apologeticum ad versus
Bremenenses Hoffmanni. Mirari etiam lector
posset, quare methodum eruditorum Cal-
vinianorum neglexerit, qui à generali natu-
ra Sacramentorum ordiuntur, & hujus initi-
speciem prætexunt, à generalibus ad specia-
lia optima cognitionis ratione procedi. Ve-
rum dicam quid obstiterit hic deceptor. Oc-
cluseram hanc viam disputatione secunda,
adductis gravissimis rationibus, quibus re-
fellendis, tam nō sufficiebant fraudes ipsius,
atq̄ in refutanda doctrina $\pi\epsilon\pi\iota\ \xi\eta\tau$, & de præ-
dicationibus defecere. Hoc unicé cavit, ne
quod exquisitius tractarim plenè sibi refu-
tandum fumeret. Et meam igitur metho-
dum quam ab Apostolo mutuatus sum, in-
tervertere, & suorum usitatam, quæ com-
moda non videbatur, deserere voluit: No-
vam autem instituire, & ab eo initiū facere,
quod ego primis digitis vix tetigeram, in se-
quentem autem disputationem quandam,
ad plenioram explicationem rejeceram, quo-
modo de iis firmamentis gloriari præsum-
sit,

fit, quibus ego putrida fulcra in disputatione
meorum thesium nondum subtraxi. Quis
igitur nisi amens credet hunc esse veritatis
amantem, qui veritatis viam averfatur, &
eam, in qua deviationum rimas conspexit,
ingreditur, hoc studio, ut ad aberrationem
alios deducat, &c.

His præmissis revoco auditorem ad meas
theses, & cum illas adversarius meus, suo ipsi-
us iudicio, nomine quod in bap̄tismate acce-
pit, indignus, thesi sua 115. carpere incipiat,
inde respondendi initium facio. Sex à thesi-
bus blaterando objicit, me cum Pontificiis
transubstantiatoribus currere, quòd τὸ φητὸν
urgeam in verbis coenæ. Si quæras qua ra-
tione consequentiæ id fieri statuat, nullam
tibi offert, quam examines, tantumq̄ addit
verum id esse, etiamsi ego millies pernegem.
Quis verò hoc disputandi genus sanæ men-
tis hominibus persuadebit justum, in quo
unus ajat, alter neget, & affirmans negantem
solo clamore, planeq̄ nulla ratione allega-
ta obtundat?

Ego verò non solùm nego, quod ille si-
ne mente dicat, sed omnium bonorum &

D 4 veri-

veritatis amantium consensu jure p̄ osco; ut ille rationem consequentiæ, quæ in thesibus ipsius nullibi apparet, adhuc subjiciat. Licet etiam sic satisfecissem meo loco, tamen ut intelligat adversarius, & in primis auditor meus, quid in errore versetur, causas negandi adjicio.

I. A forma loquendi nostra τῆ μετανοίας non conveniente:

Qui utitur oratione respuente μετανοίας, idem non transit ad μετανοίας patronos.

Istud equidem facio, cum dico panem esse corpus Christi.

Ergo per calumniam mihi societatem pontificiam objicit nomine indignus censor.

II. A natura ἰησὺ μετανοίας negante.

Omnis affirmans, quod panis benedictus in S. coena verus essentialis panis sit, & maneat, negat μετανοίας pontificiam, quæ est substantiæ panis abolitio & in substantiam corporis Christi transmutatio essentialis.

Mea autem confessio negans tropum in singulis verbis istius propositionis Sacramentalis, Panis est corpus Christi, verum essentialem panem in Sacra coena esse & manere asserit.

Ergo

Ergo eadem negat μετὰ σίαν pontificiam.

Longè verò propiores sunt pontificiis, qui de tropi necessitate contendunt. Etsi enim Calviniani, vel in copula vel in prædicatione tropum statuentes dissentiant à Pontificiis, qui tropum collocant in subiecto, genere tamen conveniunt: Cum qui omnem tropum negent, & à Calvinianis & Pontificiis toto genere dissideant.

III. A genere prædicationis altero.

Qui negat regularem prædicationem identicam in verbis Christi, Hoc est corpus meum, & per demonstrativum panem verum intelligens, longè aliud prædicandi genus agnoscit, quod τὸ ῥητὸν in partibus propositionis, & ipsa copula servet, modum autem prædicandi ab omni usitato diversum recipiat: Is à μετὰ σίαν Pontificia recedit, nequaquam verò eam proximè attingit.

Ego disertè semper negavi regularem identicam, & extrema disparata agnoscens, inusitatam asserui prædicationem in his verbis Christi: Hoc est corpus meum.

Ergo Sycophanticè accusor, quod mea doctrina Pontificiam μετὰ σίαν proximè attingat & stabiliat.

Theses horum trium argumentorum

D 5 sunt

sunt manifestæ, qui enim panem desuisse do-
cet, is in enunciatione suæ istius mentis pa-
nem non potest appellare quod sit, ideoq̃
Pontificii eruditi non dicunt, panis est cor-
pus Christi, sed vel hoc, id est, quod videtur,
seu species panis, quæ accidentibus reman-
entibus restare fingitur, est corpus Christi,
vel idem de seipso dictum volunt, ut si te-
nens manu annulum alterius dicat: Hoc est
annulus tuus. Porrò etsi Pontificii ita ineptè
loquerentur, panis est corpus Christi, & su-
am μετροίαν phrasi hinc alligatam conten-
derent, tamen ἦν τὸν in subjecto à nobis asser-
tum, panis essentiam & rem veram statuit,
non verò speciem rei substitui patitur, &
modus enunciandi inusitatus sua definitio-
ne, quòd scilicet ἦν τὸν vocum disparatarum
servet, & tamen à proprio atq̃ regulari mo-
do prædicandi discedat, identicam & quam-
vis regularem, vel quamcunq̃ aliam transub-
stantiationi Pontificiæ commodam elidit.
Atq̃ hoc dudum subsumptionem simul fa-
tis contestans, Bezæ & Pezelio ad similes in-
cusationes respondi, & tamen hunc nomine
indignum disputatorem non pudit calum-
niam evidentem, & rancidam cum specie
autoritaris reponere. Etsi enim suæ conse-
quen-

quentiæ nullum ostendit vinculum, & no-
vit quod eam dissolutam demonstravi, in
hæc tamen verba erumpit, thesi 118. An non
rursum hæerere te cognoscis? tecumq; in ex-
plicatione dissentire? aut meras tantum ver-
borum præstigias venditare? Quæ vero in-
anis & vana erit jactantia si hæc non est, tri-
pudians scilicet in re, quæ quod sit probari
nequit, falsa autem doceri potest. Mihi ve-
rò in campo veritatis, hosteq; in conspectu
omnium prostrato, nulla concedenda est vi-
ctoris confessio, aut veritatis vincentis præ-
dicatio? Atq; sic ex ungue Leo noscitur, hoc
est, indicatæ vanitati similes sunt cæteri cre-
pitus victoriæ, quos emittit censor noster,
nomine, quod inter honestos profiteri de-
buit, per seipsum spoliatus.

Post accedit ad inusitatas prædicandi for-
mas, ad quas me frustra effugium habere ait,
quia non obscurum sit Sacramentales hæc
toto genere ab istis dissidere. Ego verò ini-
tuo gratiam habeo adversario, quod inusita-
tas formas admittit, & sic Bezam suum casti-
gat, qui responsione ad me prima pag. 82. fin-
git se ostendere posse, inane esse istud recen-
ter à nobis, ut loquitur, extrudū latibulum
inuū.

inufitatarum prædicationum. Egregia igitur est illa confessio hostis nostri, quod Beza, frustra fremente palmam, vel hac saltem in parte auferamus: esse nimirum genus inufitatarum prædicationum non eumentum sed certum. Ad hoc autem arbitratur me frustra confugere, cum de Sacramentalibus prædicationibus agendū est, quia scilicet hæ toto genere dissideant ab istis. Iusto tamen, non toto genere dissidere, quæ genere communicant: Quia enim Sacramentales, hoc est, mysticæ mysterii modum obtinent, ideo quantum discedunt ab usitatis modis, tantum inufitato convenient. Quod autem idem censor diversissimam rationem, quæ in toto genere ostendenda erat, & non in singulorum propriis, inde demonstrare laborat; quia propositiones de filio Dei concretivæ abstractivam formam non recipiant, id tam eruditè sit ac rectè, ac si quis dicat: Proprium hominis non est proprium equi: Ergo homo & equus toto genere differunt, cum tamen sub genere animalis censeantur. Videtis ergo qualis sit hic disputator, quoties ad rationem dictorum sponte profilit. Qualem verò cognosceretis, si adigeretur ad rationes reddendas de iis, quæ nudè dicit, qua-

qualia sunt pleraq̄. Æquē acuta est hæc ratio, thesis 126. Corpus Christi sæpé apud Patres dicitur, & panis sacratus intelligitur, & de corpore multa enunciantur, quæ panī veré insunt, & contingunt: Hæc tu si ad naturas in Christo unitas transtuleris, à recta fide recedes. Hic primūm ad patrum phrasēs respondeo, quòd corpore pro pane, aut hoc pro illo posito indicarint unionem utriusq̄, quod nemo orthodoxorum negavit unquam. Deinde hīc potius astrui quàm destrui communionem generis sic probo. Etsi unio personalis sua quadam proprietate concretorum & abstractorum singularem observationem postulat, generis tamen communionem cum Sacramentalibus locutionibus non refugit, quia unio genus est, & alia dicitur unio personalis, & alia unio Sacramentalis. Ut verò utraq̄ unio exempta est ab ordine & modo usitato: ita prædicationes istis unionibus accommodatæ, ut quod inusitatum est forma conveniente enuncient, inusitato generi prædicandi accensendæ veniunt. Quod deniq̄ modos loquendi indicatos, ad naturas in Christo unitas transferri posse negat, nisi à recta fide fiat recessio, in eo rursus gratulor veritati. Cinglius

Cinglius enim docuit, carnem pro divinitate poni, Joh. 6. per $\alpha\lambda\mu\omicron\iota\omega\sigma\iota\nu$ Plutarchi. Et Lutherus istam $\alpha\lambda\mu\omicron\iota\omega\sigma\iota\nu$ graviter damnavit, cujus iudicium hinc per hostem confirmatur, qui inquit, eum à recta via recedere, qui unam naturam in Christo pro altera ponat, quemadmodum patres corpus pro pane, & contra, appellarunt. Quod autem nulla prædicata Deitatis communicentur carni Christi, vel de ea prædicentur, cum tantum Deitati verè insunt, in eo censor noster monendus est, quòd universa orthodoxa antiquitas ex 6. cap. Joh. docuerit rectissimè dictum: Caro Christi est vivifica. Vis autem vivificandi est proprietas Deitatis, qua filius patri æqualis demonstratur, Joh. 5. Et fatetur idem Hesiander in lib. de carne Christi vivifica, licet alii ejusdem farinae doctores idem negent. Neq; id quod in una specie inusitata agnoscitur, si in altera non habeat locum, tollit genus, & in modò dicta ratione loquendi sub una specie singularium non est generalis ratio omnium, quia non potest dici caro Christi infinita, omnipræsens, licet dicatur, vivifica, adoranda, &c. Sed ideo inusitata dicuntur prædicationes, quòd præter Dei præscriptum ad regulam non conveni-

veniant, & quemadmodum singulares sunt, ita singularitatem retinent, ne dum inter se conveniant regulariter, singulares esse desinant, etsi etiam propter singularitatem genere non desinant esse inusitatae.

Thesi¹²⁸. redit ventosus homo ad turpem jadantiam suam, quòd volens nolens agnoscam, me miscere longè diversa totaq; ratione dissidentia, ubi præter id, quod mentiatur ille, notabit lector, quòd linguam mutet contra mentem, dum pro toto genere dicit, tota ratione: Potest autè esse ratio, quòd tota dissideant ea, quæ toto genere non dissident? Iudicio igitur Dei agitur ut nolens volens fateatur, se desipientem gloriari de me convicto. Neq; dissimulo ut sequenti thesi me insimulat, verum aperte dico, quòd hoc animi habeam per doctrinam de prædicationibus totum sistema vanitatis Calvinianæ (quam ipse veritatem appellat, sed in probatione deficit) de tropis Sacramentariis non labefactare solùm, sed etiam evertere, neque cuniculum fodio, sed aperto Marte manus conferere cupio, ut cui veritatis robur constet appareat, quantum animi certè non est huic Thrasoni post principia sese recipienti.

The-

Thesibus 130. & 131. candorem mihi derogat,
quòd Melanthonem & scholasticos de præ-
dicatione inusitata & singulari allegem, &
tamen nolim illam speciem ad solas locutio-
nes de filio D E I pertinere, quæ tamen isto-
rum fit sententia. De scholasticis hic primus
id testatur, sed quia dictis fidem non facit, re-
stis vanus est. Melanthoni verò hanc sen-
tentiam falsò, & non nisi per malam Gram-
maticam tribui, jam dudum in Apologeti-
co ad Bremenses ostendi. Et si tam strenuus
esset bellator hic, quemadmodum videri cu-
pit, oportuisset eum non verbis aniliter, sed
armis viriliter agere contra armatum. Fa-
teor scholasticos singulares, Melanthonem
inusitatas appellare prædicationes de filio
Dei, sed disputare, quod exemplorum cer-
torum allegatio præbeat similium exclusio-
nem non esse firmi iudicii contendo. Simi-
lia sunt, disparata de disparatis inusitato
modo dici propter unionem mysticam &
arcanam. Et prædicationem regularitatem
quidem non recipere, sed nec extremorum
nec copulæ $\phi\eta\tau\acute{o}\nu$ amittere, neq; posse expli-
cando reduci ad regularium modum ali-
quem, veluti possunt omnes figuræ. Hæc est
generis inter propositiones de filio D E I &
Sacra-

Sacramentales convenientia, quam attinge-
re ille veretur, qui tamen atroces minas iræ
spirat. Quoniam etiam Chemnitii, Heshu-
fii, & Chytræi testimonia, qui ante me hoc
genus Sacramentalibus communicarunt,
nihil facit, quia personas eorum odit, ut
meam, ideo Victorini & Camerarii autori-
tate certis & gravissimis rationibus stipata,
supercilium Bezæ & Pezelii dejici certum
est. Quid verò ad ista hic Thraso & tacet.

Thesi 132. τὸ φητόν & corpus incorporeum
committit, de quo postea. Et dissensum in-
ter nos divinans dat se fugæ, ex qua thesi 133.
reclamat dissidium adhuc esse de subjecto.
Quod autem & quale id sit non explicat.
Licet etiam dissenserint alii, ut pontifici per
τὸ non panem sed speciem ejus intelligen-
tes: Caroloostadius corpus scientis in Coena
Christi, Stenckfeldius aliud Dei factum de-
monstrari putans: Cinglius pro eo quod di-
cas: hæc ceremonia: Lascus pro actione ac-
cipiens, quales & quantas certè diffensiones
apud nostrates non reperiet, cum non rece-
perimus in Saxonia, quod in Maulbrun-
nensi colloquio motum est: Mihi tamen has
lites etiam ideo imputare nequit, quod mi-
hi, ut omnibus Saxonibus, cum Beza de illo

E extre-

extremo conveniat, quod nimirum particula,
(hoc) panem benedictum demonstret, de quo
ut disparato praedicetur corpus Christi. Verum
hinc aestimet lector, non animo componendi
& non potius ferendi rixas ad hanc scriptio-
nem accesserit nomine se suo exuens, sive
Pezelius sive Pezelianus. De praedicato, in-
quit, quae vos contentio agit & frustra igitur
consensum & securitatem vestram jaectas.
Fateor equidem cum dolore, me non posse
facere cum Jacobo Andreæ, qui in refuta-
tione orthodoxi consensus pag. 328. & se-
quenti corpus Christi, quod in coena praë-
betur, negat tale, quod nostro, ratione sub-
stantiae, sit simile, & consubstantiale. Cum
orthodoxa enim Ecclesia Dei, unum Chri-
sti corpus, ejusque unam veritatem, substan-
tiamque carnis CHRISTI nullam, nisi meae
carni consubstantialem agnosco: Et cum
formula concordiae dico. In sacra coena
duas esse substantias conjunctim praesentes,
nempe naturalem panem & naturale corpus
Christi. Constat igitur mihi consensus cum
omnibus Formulae concordiae sanum in-
tellectum fervantibus, esseque Satanicum in-
sultare nostris Ecclesiis: quod impedire non
possumus, ne quis exorbitet quod certe
Chri-

Christus cum potuisset, in sua tamen Ecclesia domestica præstare noluit, ne ἐπιχουρευξία malignantium justè videretur nobis insultare.

Sed hisce se pascere voluit Satan & adversarius noster, cum sese nostris de prædicato adversus Bezam & Pezelium editis disputationibus marcessere sentiret.

Auditores autem nostri meminerint, quod sicco pede transfiliat vespertilio (necesse enim est, ut autorem Antidoti per propria describam, cum proprium nomen occultet) quod diximus Bezam tropos à prædicatis removisse, Pezelium vero eos in prædicata retulisse, & refutatum à Beza per Christi perspicuam declarationem, utrumque vero declaratione eadem constriatum, non posse tropum in verbis Christi ullibi obtineri. Hæc arx est belli, hanc invadere oportuisset, si debellandi fuisset studium.

Porrò objicit diversa esse, quæ de modo præsentix atq; unionis asseram, ignotum enim ait aliquando à me tot verbis describi, ut eum ad oculum me velle repræsentare videat, probat hoc quia dicam, corpus esse in pane, cum pane, &c.

Quis verò tanto nugatori sine indignatio-

aures accommodabit? An non modus unionis personalis ignotus manet, etsi dicam totam plenitudinem Deitatis habitare in Christo corporaliter, & humanitatem assumptam ex Maria virgine, eamque corporaliter essentialiterque acceptam, realiter unitam esse cum Deitate λόγος. Aliud certe est, quod corpus dicitur esse in pane vel cum pane, aliud quomodo in pane vel cum pane sit. Hæc verò iste confundit, & sic existimat, se probè nos convicisse, quasi in doctrina de modo ignoto non perstemus. Neque noster est sed Calvinianorum flosculus: dentes conficere corpus Christi. Quod de persecutione & exiliis toties inculcat, nescio quò spectet, equidem neminem propter Calvinismum eieci, unquam, neque est hæc meæ sed Ducalis potestatis, nullius quoque ejusmodi ejectionis, quæ me in hac schola annos jam 14. docente, meque consulto facta sit, vel inquirendo recordari possum, nisi hoc criminetur ille, quod apud Illust. Principem nostrum cum collegis meis intercessi, ut Johannes Malsius propter defectionem à priori confessione & defensionē blasphemiarum Calvinianarum, postquam convictus cedere noluerat, ab officio justè remotus, & aliquandiu

diu in his terris liberali tamen stipendio
Principis fruens, detentus, sine ulla corpora-
li afflictione cum id ipsum unicé peteret, di-
mitteretur. Væ autem nobis, si inciderimus
in manus sanguinolentorum Calviniano-
rum, à quibus si cum potestate sint (quod
Deus in hoc Ducatu clementer prohibeat)
nihil moderati expectandum.

Thesis 140. falsissima est. Etsi enim con-
junctionis & unionis exempla loquendi gra-
tia ab aliquibus adducta sunt, nullus tamen
similitudinem ad modum præsentiaæ cor-
poris Christi in cœna retulit, aut illam vul-
garem aut facilem intellectu dixit: sed ut in-
telligeretur hac Phrasi, Panis est corpus
Christi, dici utramq; substantiam conjun-
ctam adesse. Sic novistis à me hoc in loco
non semel tantum dictum, modum genera-
lem, qui est unionis & conjunctionis, disertè
à nobis tradi, & hinc esse Synecdochen Lu-
theri grammaticam, sed quis in specie & for-
malis sit modus unionis Sacramentalis illum
non indagarunt, sed ἀεὶ ῥητοῦν semper docuere
nostrates. Ex confirmationibus meis, quòd
modus præsentiaæ Sacramentalis ignotus sit,
nullam expendit, saltemq; in hac sophistica-
tur, quòd patres eam cum unione contule-

E 3 rint,

eam verò sic exagitat : Igitur eandem prorsus rationem habent quæ comparari ab aliquibus possunt. Hæ verò adversarii, non magis sunt nugæ.

Patres enim, quos allegavi, loquuntur de mysteriis & secretis divinis, de quibus mutatione myitaris congruente, & huc accommodatur exemplum unionis personalis. In ipso igitur tertio, in quo à patribus fit collatio generalis, hoc est, ut unio mystica & ignota intelligatur, allego patrum suffragia. Ergo, inquit tenebrio, etiam modus conjunctionis ferri cum igne, non modò ignotus est, sed inutilitas etiam loquendi formas parit. Resp. tandem prorsus rationem non habere, quæ comparare in aliquibus possunt. Veteres simile ferri igniti adhibuerunt, ad realem unionem duarum distinctarum rerum describendam, nec verè ad modum unionis demonstrandum. Temere igitur & nugaciter eo torquetur simile, & tamen auctor Antidoti, honesto nomine privatus, sic nos inclamat : Et hosce nobis nodos Hoffmannæ dissolve, aut tecum te in explicatione dissentire fateri. Fingit etiam, me ideo confugere ad modum ignoratum, ne quid respondere necesse habeamus.

Quasi verò non ille magis, quàm nose mi-
aus

nus certare malit quam cominus, qui nostra
argumenta intacta relinquens, absurdis verò
absurdè utens, putat nos terriculamentis in-
anibus ceu pueros cedere. Quandoquidem
autem ita leviter abrumpit consideratio-
nem, de modo præsentia sacramentali igno-
to, revocandus est ex fuga tergiversator, eiç
hæc sunt proponenda. 1. Quem modum in-
telligentia humanæ perspicuum Christus
in propria sede hujus doctrinae, id est, in ta-
bulis testamentariis, & quidem cum de pane
& vino agitur, quod sint corpus & sanguis
Christi, quibusç verbis definierit. 2. Quo-
modo Sacramenti, hoc est, mysterii & arcani
ratio consistat in modo cuius planissimo, &
quæ unio sacramentalis, ad quam conforma-
tus est modus præsentia, possit nomen tue-
ri, quod scilicet sit mystica & arcana, si mo-
dus unionis cuius intelligentia promptus
fuerit? 3. Quod, confessione Bezae & alio-
rum, signi & lignati natura nuda significatio-
ne non constet, sed realem aliquando utri-
usç conjunctionem præsupponat, qualis
est J E H O V A in rubo ardente realiter præ-
sentis: Exod. 3. & Spiritus sancti sub visibi-
li specie columbae super Christum apparentis,
Matt. 3. vel visibili flamma in ore Apostolorum

patefacti, & realiter effusi. Ad qualia exem-
pla etiam Calvinus propositiones Sacramen-
tales censuit esse referendas. 4. Quæ testi-
monia patrum à nobis allegata, quibus ner-
vis ad modum illum arcanum probandum
infirmiora sint, & quæ aduersario sint clario-
ra modum præsentia etiam in rebus huma-
nis pervulgatum docentia. De his ubi dex-
trè responderit ille, specimen edet candoris,
qui in ipso hætenus fuit desideratus.

In heli 146. & sequentibus ait, me, cum cor-
poralem præsentiam corporis Christi doce-
am, Augustini sententiæ obnoxium fieri, qui
lib. 20. contra Faustum Manichæum afir-
met, propter corporalem corporis Christi
præsentiam, plures concedendos esse Chri-
stos. Inspiciatur autem disputatio Augu-
stini, & quidem cap. 11. ubi de tribus Christis
Manichæorum agit, & nihil tale inuenietur,
quale objicit hic Antidotarius: Dicite nobis,
inquit, Manichæos alloquens Augustinus,
quot Christos esse dicatis? Aliusne est, quem
de Spiritu sancto concipiens terra patibilem
gignit omni non solum suspensus ex ligno,
sed etiam jacens in herba, & ille alius quem
Judæi crucifixerunt, sub Pontio Pilato, &
tertius ille per Solem Lunamq; distensus?

Hæc

Hæc August. qui pluralitatem Christorum
ex diversitate dogmatis Manichaici statuit,
ut qui Iesum patibilem ex terra genitum, in
omnibus stirpibus terræ, pomis & fructibus
arborum fuisse confinxere. Postea tamen
sub Pontio Pilato ipsum Iesum verè passum
negarunt, & ascendentem in cælum dixe-
runt illigatum fuisse stellis, maximè verò So-
li & Lunæ. Hinc colligit Augustinus tres
Christos fieri, & quidem primum licet de
omnibus lignis suspensum unum, tertium
licet in Sole & Luna distentum etiam unum
appellat, ut etiam in pluralitate locorū Chri-
sti unitas relinquatur ab Augustino, ex qua
tamen nugivendus iste ait plures Christos
demonstratos. Ex eodem hoc loco ortho-
doxus consensus pag. 100. corrasis tribus di-
versis sententiis ex 11. & 12. cap. disjunctivam
fecit, aut unum corpus in plura loca disten-
tum, aut plura per loca distracta esse statu-
enda ex corporali præsentia in pluribus lo-
cis. Etsi verò ista disjunctiva, tanquam ex
sufficienti enumeratione ne quidem in men-
tem venit Augustino, ne dum verbis ipsius
traditur, unde rursus fides allegatorum Cal-
vinianorum perspicitur: tamen hæc alterna-
tiva necessitatem pluralitatis, quam noster

scycophanta, ex corporali præsentia necessario astringit, negat. Cum enim cæteri Calviniani eadem præsentia posita vel unum vel plura corpora statuunt, viderit noster hic infamis medicus qua prudentia adhibeat unum Antidotum diversis morbis vel antequam hos discernat pharmacum parat. Ac si pressius hic agere liberet, duorum etiam modorum sufficientiam negaremus. Sed parcendum nunc temporis, & liquebit id ex sequenti notatione Augustiniana. Non enim possum suspensum relinquere auditorem in eo, quod post disputationem de pluralitate Christorum Augustinus alia occasione incidenter dixit: secundum corporalem præsentiam simul in Sole: Luna & cruce esse non posset: hoc de naturali corporis modo intelligit, cum non corpora sed modos opponat, quando spiritualem & corporalem præsentiam appellat.

Et solent nostræ Ecclesiæ de huiusmodi patrum sententiis urgere, quod ad negandam veram & realem præsentiam corporis Christi in pane & vino non fuerint ab ipsis adhibitæ, sed tum potius sepositæ, & præsentia corporalis simpliciter credita, id quod in hoc libro Augustini singulari observatione dignum

gnum est. Nam cap. 13. inquit, Faustum arbitran-
tiam, parem esse nobis religionem, circa panem
& calicem, hoc est à Manichæis, qui corpus
Christi in omnibus fructibus terræ esse
doceant non dissentire orthodoxos, qui in
pane & calice corpus & sanguinem Christi
credunt. Ad hæc verò Augustinus: Noster
panis & calix, non quilibet, quasi propter
Christum in spicis & in sarmentis ligatum,
sicut illi desipiunt, sed certa consecratione
mysticus fit nobis, non nascitur. Hic si Au-
gustinus sensisset corpus & sanguinem Chri-
sti non esse in pane & vino benedictis, nega-
re debuisset, quod Faustus pro concessio alle-
gabat. Sed non negat corporalem, hoc est
veri corporis & sanguinis in pane & calice
mysticam præsentiam, verum sic nostram fi-
dem à deliriis Manichæicis liberat, ut quod
illi nasci fingant, nos non nasci, sed fieri, nec
in quolibet pane vel calice, sed consecrato
saltem in usu mysterii, fieri doceat. Videtis
igitur quod Physica hic seposuerit Augusti-
nus, nec cum Calvinianis loqueretur.

Certe aliquoties in sententiis Prospero ait
Sacramentum hoc duobus confici, duo-
bus constare, visibili elementorum spe-
cie, & invisibili CHRISTI carne & san-
guine. Sic verba & nobilis ejus est sententia,
quam

quam Beda ex sermone ipsius ad Neoph. ci-
tat: Hoc accipite in pane quod pependit in
cruce: hoc accipite in calice quod effusum est
é latere Christi. Disertè quoq; fatetur vel in
his libris contra Faustum, non fide solum
sed & ore percipi corpus Christi. Item, ad
integritatem Sacramenti non requiri fidem.
Imprimis verò multus & gravis est in do-
cendo, quod indigni corpus & sanguinem
Christi accipiant.

Thesi 149. confert Antidotarius nostram
de modo mystico & arcano confessionem
cum tergiversatione Eutychiani, quòd apud
Theodoretum rogatus, utrum incarnatio-
nem mutatione Deitatis factam esse diceret,
respondit: non intelligo modum. Videte
autem quanta sit nostri adversarii calumni-
andi libido. Nos nihil proferimus de nostro
sed verbis à Christo prolatis, & ab eodem
perspicue declaratis, fidem simplicem adhi-
bemus, modo auctori relicto, quo sine men-
dacio sermo ejus constet. Idèq; facimus jussu
Dei, Genes. 18. Angeli Luc. 1. & sic exemplo
probatissimorum fidelium. Eutychianus ve-
rò post incarnationem unam tantùm natu-
ram, divinam, scilicet docens, carnem verò
prorsus negans contra scripturam locutus
est,

est, & huic figmento quæsitivum solatium in modo ignoto, de quo sic Theodoretus: Veteratorie uteris prætextu ignorantie, id quod facis ad imitationem Pharisæorum. Nam illi quoque Dominicæ interrogationis vim prospicientes & refutationem ejus metuentes dixerunt: Nescimus. Judicent ergo hic cordati, an non effrenem diabolum agat hic noster adversarius, dum diversissima eadem faciens, mandatam à Deo pietatem criminatur impietatem.

De verbo **E S T** quod proprie non significet *ὑπερηλικῶς*, sed sit verbum sua proprietate simplici generaliter tantum Esse, non verò modum essendi exprimens, adeò certa est doctrina nostra, ut quod demonstrationibus nostris opponat, non habeat disputator, nomen etiam honestum non habens. Ne autem antidoto carere putetur coram iis, qui non attenta mente ductis sed hianti ore oriblateratoris stolidè imminent, hoc more circumforaneorum empyricorum acclamat: De **E S T** *ὑπερηλικῶς* significante quàm subtiliter disputas, tam naviter calumniaris, sed heus calumniator aggredere meam doctrinam, & ostende ubi, quomodo, & quare talis sit.

Simi.

Similiter de metonymiæ examine pronun-
ciat inquiring. Et de metonymiæ ratione
nugaris, aut certe nugati sunt omnes, qui de
synecdoche sacramentali ante te scripserunt.
An verò hæc dixisse sufficit, antequam expli-
centur & probentur? Et quæ est illa synec-
doche sacramentalis, quæ metonymiam Be-
zæ subleuet? Certè ea, quæ de metonymia
tradidi, talia sunt, ut doctorum iudicia nihil
metuam. Novicq; acutum quendam, qui, licet
Calvinianam de cœna confessionem tueri
percipiat, tamen non solum metonymiam
Bezæ, ex meis disputationib; inanem agno-
vit, sed etiam propterea per alium quendam
doctissimum Bezam fatigat, cuius etiam ad-
monitionibus Beza se non parum debere fa-
tetur, non obscure tamen simul innuens pu-
dere se mihi cedere. Interim verò Bezæ de
metonymia responsionem non dubito ad-
mittere in testimonium, quod illum tropum
salva eruditione non potuerit defendere.
Hic verò scurra si tantum dixerit me nugarì,
gloriatur, ut clamorosus empyricus, se meis
thesibus opposuisse Antidoton.

Porro ait, me averfari regulas ab Ecclesia
semper usurpatas, interpretandi scripturam
secundum analogiam fidei. Si verò tam amans
esset veritatis, quàm videri cupit, ipsas regu-
las

las repetivisset, munivisset, meisq; recusatio-
nibus accommodatas inculcasset. Hinc ego,
hinc vos, hinc alii erudiri potuissent. Sed hic
pseudomedicus, cum nec morbum patefa-
ciat, nec remedium adhibeat, si saltem dixe-
rit, vel sano nugaris, & morbum & antido-
tum uno flatu confecit. Equidem nihil puto
ferendum, quod in articulos fidei veré in-
currat. Sed quod omne hoc analogiam fidei
violet quod stultæ rationi adversari, & per
tropum intelligentiæ humanæ planum cor-
rigi debere malè feriatis hominibus videtur,
hoc pernego. Et hoc argumentum hujus di-
sputatoris primarium postea palam faciet
analogiam fidei servari posse, etsi tropo Cal-
viniano locus non detur. Sacramenti natu-
ram & rationē tandem nobis objicit, sed ut
initio methodū ab illa instituendā metuit;
ita nunc eam attingens, canis é Nilo biben-
tis morem imitatur, imò, multò trepidantius
agit, cum antequam aliquid de natura sacra-
mentorum delibet, fugiat. Teneat saltem
vocem sacramenti, sicut in hac doctrina usur-
pari cœpit in Ecclesia de mysterio scilicet ar-
cano & secreto Dei, & sic panem esse corpus
Christi non per tropum explicabilē, sed per
modum ineffabilem: de quo Chrysostomus
lib. 3. de sacerdotio exclamat: O miraculum.
Thesi

Thesi 157 liberalis hic Antidotarius gloriatur, se alia plurima mittere, cum tamen haecenus nihil attulerit, quod vel cassanuce dignum esset: itaque ostendit, quod omnia amiserit.

Promit autem adhuc esum carnis Christi Joh. 6. cui contradicam, quemque huc pertinere, & patrum testimoniis & veritatis evidenti doceri ait, sed quomodo, & qualiter, id nec probat, nec indicat. Et haec illa sunt magno cum hiatu promissa antidota, nunquam tamen deprompta, nedum applicata multo minus efficacia probata. Pertinet utique esus spiritualis carnis Christi ad coenam Domini, sed non est ipse Sacramentalis esus, ubi de pane & vino materiali Christus dixit, quod sint corpus & sanguis suus accipienti. Dum igitur de hac oratione est quaestio, ad illam plane diversam recurrere, est fugam arripere, & nihil ad rem respondere. Quiescat autem paululum hic Empyricus, donec ad manducationem spiritualem nostra nos deducat disputatio, & videbit quomodo illius beneficio totam panopliam Calvinianam convincamus. Siquidem hoc ipsum in ea fieri demonstrabimus, quod Sacramentalis perpetuum est offendiculum. Nam quod
corpus

corpus & sanguis Christi realiter ibi, ubi fideles in terra agunt, ipsorum non solum spiritui, sed & corporibus conglutinentur disertissimè à Christo & Spiritu ejus multis in locis docetur.

Gloriatur denique de patrum totiusq; orthodoxæ antiquitatis consensu, qui meis conclusionibus adversetur. Sicut autem nullum meorum argumentorum repetiit, nedum vinculum ejus infregit: Ita conclusiones meas contra dialecticorum regulas nunc impetit, & quod antidotario minimè convenit, nulla id collatione, multò minùs ratione persequitur: itaq; verba pro antidoto, fumos pro thyriaca vendit, neq; solum quod in probatione deficit, infamis est circulator ille, sed cum paulò antè in allegatis patrum turpissimè se dederit, specimen reliquit palpabile, quod consensum mentiatur, quem jactat. Si quis volet, non solum ex Augustino & Theodoreto (cui tamen quidam minus tribuunt) sed etiam ex aliis, quæ probationis sunt auctoritatis, patribus hanc controversiã agitabo, & Deo juvante hoc ipsum quod in thesibus meis tradidi, plenè inde confirmabo. Vix enim puto, ullum posse pro Calvinismo proferri antiquitatis testimo-

F nium,

nium, quod antè non audiverim, vel contra nos, quàm pro nobis gravius deprehenderim, ita tamen apud patres arbitros compromitto, ut mihi cum honestiore res sit, quàm cum tali, qui seipsum nomine boni viri privavit, ut qui verbo Dei primas non derogem, nec patrum scripta Canonicis æquem, sed quemcunq; patrem verbo DEI subiectum agnoscam, & quoties necesse est, exorbitantem pro libertate Christiana subijciam. Cum enim negari nequeat, non raro patres dormitasse, (sicut nemo doctorum tam est per vitam suam alacris & vigilans, ut nunquam de diligentia sua remittat) interdum etiam intentos in sibi præsentem statum ea dixisse, quæ diverso dediti taliter non accommodarint.

Ambigua etiam ex clarioribus jure explicationem expectent, aliaq; sint candidi interpretis adminicula à veritatis patronis supeditata, omnia illa admittere æquissimum est. Postulata autem hic nugator compromissum, ut nos de fuga justorum colloquiorum suspectos reddat. Verùm utinam injuria hujus temporis concederet nobis talem cum adversariis congressum, in quo non auctoritas personarum, sed bonitas causarum, non dicacitas sophistica, sed brevitasyllogistica,

etica, non probabiles declamationes sed de-
monstratoriae probationes dominarentur,
nihil nobis accidere posset hac in vita grati-
us, utq; de prophanæ eruditionis laude hic
cum nemine certandum, ita de religiosæ fi-
dei certitudine nullius nisi verbi Dei dictatis
cedendum existimarem. Quandoquidem
autem hoc Dei beneficium differtur, & Cal-
viniani multitudine Epicureorum stipati,
nostram causam ex paucitate credentium
æstimant, nec non vana sua persuasione &
fallaciarum opinione, vel ipso Christo
eruditiores, omnes, qui tumidam istam sapi-
entiam non adorant, pro stolidissimis asinis
habent, deq; suis nugaciter blaterantes, alio-
rum sententiam levissima præteritione pro-
teri somniant, nobis invitis necessitas affer-
tur tantos contemnendi ludiones, pudefaci-
endi illorum in anem gloriolam, & detracta
larva eruditionis ipsos vehementius confun-
dendi. Qui tamen hunc morē in primis statui-
mus servandum, ut, quod exprobramus, ve-
rissimum doceamus, doctrinā nostram tam
conscientia, quā scientia, tueamur. Et con-
tra quævis offendicula non tam speciosè,
quā solidè muniamus, iis etiam qui huma-
nitate & modestia nostra lucriferi queant,
non desimus.

F 2

Sed

Sed pergamus. Conscientiam meam Mo-
mus, ipse conscientia ut honesto nomine ca-
rens, appellat, quæ mihi dicitur dissensum cū
Augustino & reliquis patribus, de ratione
significationis in Sacramento. Deum autem
scrutatorem cordium testem hīc invoco,
quòd conscientia mea mihi nihil tale dicti-
tet. Appellanti quoq; incubuisset discrepan-
tiam ostendere, & sic meam conscientiam
vellicare. Equidem si iusta apologia tum de-
fuisse, de qua iudicium Ecclesiæ permitterē,
ingenuè cessissem, aut si convictus pertinax
fuissem (quod ne Deus permittat seriò pre-
cor) tum adversario facultas non defuisset
me confundendi.

Postremò, inquit, Coronidis loco hoc ex-
pendendum tibi seriò comitto: tu manibus
atq; ori externo attribuis apprehensionē, &
esum ipsius rei internæ & cælestis in Sacra-
mento. eam autem dicis insensibilem, incir-
cumscriptam, indefinitam, infinitis locis si-
mul præsentem, ac quod tale est, vel spiritus,
vel nihil est. Ergo corporis organis compre-
hendi non potest. Non huc transferā quod
primario argumento reservavi, sed nego
nunc tantum, quod id, quod sensibus nostris
nō pateat, vel spiritus sit vel nihil. Deo enim
possi.

possibile postea probabimus, ut corpus ali-
cubi insensibiliter sistat, veritate corporis sal-
va. Ad hoc verò, quod negat spiritum orga-
nis corporis comprehendi posse (quod de
perceptione & receptione intelligo) nunc
respondeo. Corpus animatum certè omni-
bus suis organis comprehendit spiritum, qui
est anima. Nihil magis spiritum esse quàm
Deum, & tamen hujus templa esse sanctorū
corpora nemo Christianus inficiatus est un-
quam: An ignoratis, inquit Paulus 1. Cor. 6.
Corpus vestrum esse templum Spiritus san-
cti, qui est in nobis? non inficias hīc eo, quòd
de fide dicitur, per quam inhabitat Spiritus
Christi: sed quod consequenter ipsum cor-
pus sit habitaculum Spiritus sancti, itaq; à
corpore recipiatur spiritus, nemo etiam ne-
gabit. Paulus Rom. 8. inquit, Si spiritus ejus,
qui excitavit Jesum à mortuis, habitat in vo-
bis, is qui excitabit Christum à mortuis, vi-
vificabit etiam mortalia corpora vestra per
inhabitantem ejus spiritum in vobis. Certè
si inhabitat in corporibus spiritus, corpora
eum comprehendunt seu recipiunt. An non
cor est organum corporeum? Quoniam au-
tem estis filii, inquit Apostolus, Galat. 4. Mi-
sit Deus spiritum filii sui in corda vestra, cla-

mantem; Abba pater. Si igitur Spiritus in
corda mittitur, necesse est corda eum recipere.
Cum in ore Apostolorum conspiceretur
flamma, qui erat Spiritus sanctus, certè Spiritus
sanctus ori ipsorū immissus fuit, & reple-
ti sunt, ut textus habet, Spiritu sancto, Act. 2.

Ite nunc Magistelle, sapientiam divinam
raformans, & nega Spiritum organo corpo-
ris posse comprehendi ac recipi. Et tantas ta-
men nugas tanta autoritate venales illi pro-
ponunt.

Hactenus audivistis, juvenes dilectissimi,
quod nostris thesibus hic Thraso ne hilum
quidem opposuerit, testes quoque estis, eum,
ut circulatorē dentifragum clamorū qui-
dem, longè autem vaniorem vanissimo cir-
cumforaneo deprehensum esse in eo, quod
de theriaca & antidoto multa verba fecerit
antequam morbum ullum dignoverit, pixi-
des etiam ostenderit, sed neque apperuerit il-
las, neque deprompserit theriacam, neque appli-
caverit contra certum morbum, quod etiam no-
bis. pixides inspicientibus ab omni materia
vacuæ sint reperiæ. Quo nunc loco tam im-
pudentem deceptorem habituri, quid etiam de
meis thesibus statuturi sitis, vestris judiciis
integrum relinquo, & confido testimonio,
Psal.

Pfal. 94. Usq; ad iustitiam refertur iudicium:
& post illam omnes recti corde, seu ut egre-
gie vertit Dominus Lutherus: *Recht muß
doch recht bleiben / vnd dem werden alle from-
me Herzen beyfallen.*

Accedo nunc ad ea, quæ à me in alias di-
sputationes rejecta hic zoilus anticipavit, in
quibus etiam multus est & ventosus nimi-
ùm, ut contra quæ nondum sensit vim me-
am: speratq; ideo majorem in illis applau-
sum, quod theses meæ nondum deliriis hu-
jusmodi occurrerunt. Dolet homini quod
τὸ ῥητὸν & modum prædicandi distinxit, mo-
doq; prædicandi mutato, τὸ ῥητὸν non ne-
cessariò mutari simul evici. E partibus pro-
positionum Sacramentalium deturbavi tro-
pikum, in copula sola impossibilem demon-
stravi τῶν ῥητῶν asserto, & modo prædicandi
improprio concessio, neq; in regularem neq;
in tropicam incidi, sed modum quendam
inutilitatum mysterio congruum & ab omni-
bus generibus & speciebus Aristotelicarum
prædicationum remotum obtinui, quæ o-
mnia non ausus fuit bonorum & erudito-
rum more examinare, multò minùs refutare
aggressus est, sed more tuo, hoc est, scurrili,
ea contemnendo conficere instituit.

F 4

Unde

Unde etiam exordium duxit, inquit, quod verba & syllabas ad ingenium ostendendum minutim fecem: quæ jam tum vestro iudicio tradidi, & omnibus bonis qualia sint probanda defero. His ita quasi responsione indignis oratorio supercilio præteritis pollicetur rerum maximarum vitia quæ occultem, retegere. Tria autem enumerat disjunctivè, ex quibus, quod mihi certò impu- tet, non constituit. Quod initio statim animum ipsius pravum arguit, ut qui non inve- niat, & tamen sollicitè quærat, reprehenden- dum. Atq; hoc ipse est retegere simile profe- ctò illi, quod antidota ex vacuis pixidibus promisit & tamen thesi 10. nos quasi mente careamus, aut nullam *πληροφορίαν* sectemur, convitiatur.

Thesi 11. pollicetur probrum non proba- torum dictorum amoliri, & quatuor mihi tribuit, quæ asseram, & præcipiam credere, ut ipse loquitur, agnoscens videlicet vim veritatis qua urgente consensum quasi præ- cipi sentit.

Primum autem Thesi 13. ait, me assertum velle, quod verba Christi porrigentis panem & dicentis: *Hoc est corpus meum*, simpliciter & citra omnem figuram, *κατὰ τὸ ῥητὸν* sine intel.

intelligenda. Agnosco mea verba, sed doctrinam quibusdam mutilatis depravatam conqueror. Semper enim inter verba singula & prædicationem, ut par est, distinguo. In verbis τὸ ἔκτὸν defendo, in prædicatione in proprium inusitatum modum fateor: idque ideo, ut licet verba simpliciter accipiam, modum tamen unionis Sacramentalis, qui modo prædicandi involutus est, crassum & physicum negem: itaque fortissime declinem, quæ ab adversariis, distinctionem illam respicientibus, calumniose obijciuntur. Cumque hic *δυσωυμος* fastidiat meas distinctiones, & hic confusione vim meis dictis afferat, agnoscat hinc & meminerit posthac lector, quod scelerato animo agat, quoties in distinctiones meas invehatur.

Thesi suæ decimæ tertię, qua doctrinam meam detruncavit, & corrupit, opponit sequentem 18. sed præter omnem dictorum probationem, & sic totam meam *παιτὶ τῷ ἔκτῳ* & de prædicationibus doctrinam se conficisse putat. Ego verò adhuc certus de meis, ea firmissimè teneo, ut sic à primo vitio, quod statuit, liber sim.

Thesin 14. meam profiteor, si cum modo mysterii, quem urgeo, jungatur, & auferatur

tycophantia, quam manus, patinæ, & oris commemoratione instituit. Non enim in manu extra usum, nec in patina extra usum, sed in actione, cujus caput est oralis sumptio: quæq; usum verum præstat, corpus & sanguis Christi licet mysticè, realiter tamen cum pane & vino, quæ in terra nobis constitutis præbentur, præsentia creduntur à nobis.

Thesi huic decimæ quartæ opponit sequentem 19. in qua de corpore illo indimensibile nugatur, & præterea novam præsentiam comminiscitur, eamq; nobis affingit. Prius commentum postea recurret: de posteriore autè respondeo, quod fanaticū se prodat calumniator. Omnino sane *Καὶνωσίαν* corporis Christi cum homine spirituales tanquam fructum Sacramentalis perceptionis, mediante fide consequentem discernimus à sumptione orali, & sic præsentiam Sacramentalem à præsentia spirituali. Hinc verò non sequitur præsentiam Sacramentalem absolutam esse, quia spiritualis non sit, sed tam suo à Deo ordinato usui accommodata est, quàm altera. Quod tamen mirum istis hominibus, inò absurdum videtur, corpus & sanguinem Christi sumpta non conglutinationem

tionem & vivificationem sed refectionem & damnationem aliquando consequi, de eo hic dicendi locus non est, sed hæc pars ad manducationem indignorum pertinet, ubi eam, Deo bene juvante, pertractabimus.

Thesis 15. Coccysmum continet, si reliquorum Sacramentariorum opiniones adhibeas. Eodem enim referunt corpus il locale, in circumscriptum, quo rejiciunt corpus invivibile, & incontrectabile. Hic vero fanaticus, reperto scilicet nodo in scirpo, distinguit, & in adversaria thesi, quæ est 20. posteriora vocat propria essentialia, unde patet, priora non haberi ab ipso talia, id quod notandum est.

Thesi 16. de prehensione oris tum dignorum tum impiorum participantium corpus Christi nos accusat, & in opposita, quæ est 21. absurda illi sententiæ imputat, & quod doctrinam evidentius ad sensum hæreticum trahat: nondum tamen quicquam probat.

Thesi 22. & 23. ebuccinat anathemata quæ Eutychemi & aliis dicta sunt, ob eandem doctrinam, quam nos tradimus, ut ille calumniatur. Sed duo præcipua & maximè hoc loco necessaria negligit inquisitor hæreticæ pravitatis. 1. Quòd hæreticorū dogmata
non

non exacte proponat. Deinde, quod eorundem cum nostris convenientiam non demonstret, sed suam tantum censuram dicat, velut supremus iudex, qui nulli debeat dicte sententiae rationem. Marcion, Eutyches & similes sustulerunt ipsam essentiam corporis, & Marcion quidem phantasma corporis apertius profitens, visibilitate posita, corporis essentiam negavit. Eutyches post incarnationem unam saltem in Christo naturam, divinam confessus est, & ne quidem carnem appellari permisit. Quae igitur horum ad nostram doctrinam collatio, & quomodo Marcioni vel Eutycheti invisibile corpus, quod docuerint, tribues? cum alter phantasma sine corpore, alter ne quidem mentionem corporis admiserit. Quomodo etiam corpus infinitum, indimensum statuit, qui nullum corpus agnovit, & ubi nos corpus indimensum, infinitum unquam docuimus? Neque satis constat ἀντιστοιχίη & conversio argumentorum. Argumentis sane, quae contra nos crepat hic sycophanta, eo processu utitur, ut a non apparentibus externis progrediatur, ad annihilandam veritatem corporis Christi, quam credimus. Argumenta autem contra Marcionem & Eutychetem ab Ecclesia

fia

ſia orthodoxa uſurpata à patefactionibus ve-
ræ humanitatis Chriſti, in ſacra ſcriptura ex-
tantibus, veritatem demonſtrarunt, ſed non
eadem in omnibus neceſſitas verum in ar-
gumentis orthodoxorum patrum quibus-
cunq; in controverſiis uſurpatis, opus eſt
ſelectione & infirmum firmiore ſtabilitum
grave fit, ſolū cum eſſet levius juxta verſum:

Et quæ non proſunt ſingula, multa juvant:

Hic igitur deliberet omnis, cui eſt iudicium
& peritia, pondera argumentorum exquisitè
librandi, qualis ſit converſio argumentorū?
Chriſtus edit & edendo probavit, ſe verè
ſuo corpore, reſurrexiſſe. Num vero cum
non edit amplius, cum verum corpus exuiſ-
ſe dicamus? Noles hoc fieri haud dubiè: Er-
go vides quod ab aſſirmatione & negatione
talium non ſit proceſſus parium paſſuum.
Neq; propterea neceſſe eſt, eſſentiale vel ſi-
mile neceſſarium & perpetuū corporis pro-
prium eſſingere. Eſt Lucas Acto. 1. vocarit
κείνην, quibus ſe Chriſtus poſt reſurrectio-
nem probavit priorem ſuis diſcipulis. Sed de
converſione propoſitionum per contrapo-
ſitionem poſtea pluribus acturi primarium
argumentum adoriatur, quod inaniffima
tautologia inculcat hic vaniloquus:

Vc.

Verum corpus non est extra proprias suas notas aut essentialia idiomata inquit thesi 24.

Notas proprias à thesi 19. appellat locale in uno tantùm loco dimensum & circumscriptum esse.

Essentiales verò proprietates thesi 20. ponit, videri & tangi posse.

Et thesi 26. pronuntiat non posse verum corpus esse, de quo dici nequeat: Videte, palpate. Neq; hic per omnipotentiam DEI ullam exceptionem admittit thesi 79. Hinc igitur majorem talem conficiamus:

Omne corpus verum tam necessario est locale, in uno tantùm loco, dimensum, circumscriptum, visibile, palpabile, ut ne quidem omnipotentia Dei diversum velle aut præstare possit.

Minorem talem subinde inculcat.

Tu Hoffmannè corpus sine istis notis & proprietatibus doces, dum corpus Christi in cœna realiter: & quidem in omnibus illis vel procul disitis locis, in quibus panis & vinum benedicta simul & semel porriguntur, sumentibus præsens tradis, quod tamen nec videtur nec palpatur, itaq; facis corpus illo-cale, indimensum, incircumscriptum, in pluribus locis simul, invisibile & impalpabile.

Ergo

Ergo corpus id negas verum.

Respondeo ad majorem: & quidem primum per distinctionem: Postea ad necessitatem: Notas quidam proprias corporis agnosco: eas verò quas essentielles proprietates hic appellat, nimirum videri, & tangi posse, tales non recipio, sed prioribus æquipollentes duco. Proprias notas corporis intelligo, quas natura nō nisi in corpore ostendit, quales & sunt, esse coloratum, esurire, sitire, edere, bibere, vulnerari, mortale esse: In his propriis notis corporis, quædam manifestò convincunt corpus sine illis verum constare posse. Quod autem in quibusdam, non est tam aperta observatio, id non cogit, ut quod non palpemus, fieri posse negemus. Sed magis priorum quæ iste facit, consideratio istud obstaculum facile removebit. Essentialia idiomata corporis propriè sic dicta, & quibus negatis, corporis essentia aboleatur ea tantum sunt, quæ corporis essentiam constituunt. Quibus enim destructis, essentia destruitur, iisdem constitutis, essentia constituetur. Ut quæ essentia magis & minus non recipit, ita essentialia propria, quæ cum essentia astruenda & destruenda convertuntur, neque magis neque minus admit-

admittent, cum admissa in essentiam redun-
dare necesse sit. Cumq̄ de corpore quæritur
in genere, necesse est ista propria talia osten-
di, quæ omnibus æqualiter corporibus pos-
sint aptari. Jam adsit Physicus doctissimus, &
hujusmodi essentialia propria corporis in-
quirat, certè nisi falli velit, non in externis
sensibilibus consistet, sed intimam corporis
naturam & essentiam sibi indagandam esse
recordans, ab externis ad intima mentem
transmittendam esse intelliget, perspicacia
nimirum tali & tanta, quali & quanta Adam
integer, censes creaturas à creatore adductas,
& singularum differentias específicas videns
usus est. Verùm cui hæc Physica sapientia
perfectè contigit, & quis Physicorum unquã
dixit & probavit quod vel minutissimæ rei
essentiam plenè perscrutatus sit, & cognove-
rit? Certè quò diutius in hoc studio docti
versantur, eò majorem modestiam discunt,
& experiuntur, multa pronuntiata si exquisi-
tius discutientur, potiùs extimis quàm inti-
mis, & magis accidentalibus quàm essentiali-
bus æstimari. Sic cum corporis essentiã scru-
tati sunt, deficiente divina illa integerrimi
Adami perspicacia, ad intima rerum per-
tingente, ad externa conversi sunt, & in his
quan-

quandam rationem differentiae conquifiverunt, ut sic, quod essentiam ipsam viderint, non potuerint gloriari. Ac ne quis Physicam istam sapientiam de proprietatibus corporis tanquam perfectam admiretur, hoc examen instituat. Esse in aliquo *Ubi & loco*, profecto non est, simpliciter corporis proprium, nam & *Anima in aliquo ubi est*: cum sit in corpore, quod est in loco: neque extra corpus sit, quando intus est.

Modus igitur essendi alicubi alius circumscriptivus, alius definitivus traditus est. Expende nunc modum circumscriptivum, visibilem, palpabilem in corpore, istum certe facile deprehendes in corporibus solidis, crassis & quorum extrema visibiliter terminantur. Sed cum haec solidorum & crassorum, id est, Speciei non generis corporum esse intelligis, ulterius ingredi & rariora corpora intueri. *Nonne vapores & flatus corpus etiam agnoscunt Physici?*

Quandoquidem visu & tactu non raro deprehenduntur: iidem vero tam rari & tenuous non nunquam redduntur, ut neque visu neque tactu possint deprehendi. In apoplecticis, qui pro mortuis habentur, cum nullo sensu halitus oris deprehendi potest, speculum
C medi-

medici ori prostrati aliquandiu adhibent,
quod si adhuc ex homine Spiritus exhalat,
qui sensus visum nimirum & tactum effugie-
bat, tandem concretus speculo inhære vi-
detur. Quamobrem Aristoteles in 2. de Ani-
ma ait, Tactum (quem tamen alioqui faci-
unt exquisitum hominis sensum) solos ex-
cessus tactilium qualitatum percipere, non
mediocritatem. Nec nisi in uterem cogas, o-
stendes rarissimorum vaporum circumscri-
ptionem. Jam cum illa propria à nonnullis
Speciebus corporum deprompta, in quibus-
dam aliis speciebus audis, & convinceris sen-
suum observatione talia non posse probari:
Intelligis utiq; si sanæ mentises, ipsam pro-
bandi rationem non esse infallibilem, sed
accidentalia, quàm essentialia potius collige-
re propria: Sicut visus & tactus objecta eru-
diti appellarunt passibiles qualitates. Quæ
dum intensiorem & remissionem patiuntur,
hoc ipso qualitates esse deprehenduntur, nec
omnibus corporibus æqualiter conveniunt,
quemadmodum essentialia propria sine ex-
cessu & defectu suis veris essentiis compe-
tunt. Hinc ergo patet majorem hac in parte
non esse veram, quod sensuum crasso & pal-
pabili judicio omnis veri corporis probatio,
tam

tam affirmativè quàm negativè constat.
Quomodo perfecta universalitas & hinc de-
pendens necessitas perit, cumq; omnipoten-
tia Dei in natura veritatem corporis, tum
visibilibus & palpabilibus, tum visum & ta-
ctum acerrimum & integerrimum, aliquan-
do fugientibus distribuere. Certè non est
ista astricta legibus, quas sensus in crassiori-
bus peperere. Sed dixerit adversarius, Di-
versitatem allegatam esse ex densitate vel ra-
ritate, sed corpus Christi solidum esse, quod
carnem & ossa habeat. Ex densorum igitur
legibus, non ex rariorum conditione illud
esse aestimandum. Respondeo sic quidem re-
ctè censei secundum naturæ ordinem, sed
interim Physicus hæc urgens conticescat
oportet in eo, quòd ex speciali generale fe-
cerit, Deinde quòd accidentale pro essentia-
li venditarit. Deniq; non quæritur, quale
corpus humanum sit juxta leges sensuum
probandum, sed num, Deo illas leges sepo-
nente, verum corpus nihilominus confi-
stere queat. Hic neganti rursù obstat, quòd
demonstratù est, ipsam crassitiem non per-
tinere ad veritatem corporis, sed speciei esse,
non generis, imò non corporis, sed qualita-
tis corporis. Densitas enim & raritas quali-
tates sunt, non essentia.

G 2

Sic.

Si emendaverit orationem, & converterit se ad veritatem corporis, non desinet hærere responsio in hoc, quòd non de corporis veritate, sed de eo quod ad veritatem corporis si neq; hujus veritatis vel argumento vel decremento accrescit, loquatur, cum tamen status sit de veritate corporis, & sic fortissimè cogetur ut fateatur, illam visibilitatem & palpabilitatem non esse de corporis essentia & veritate, quatenus propriissimè corpus per se & citra alia adjuncta consideretur. Quod si hoc de propriis, quæ essentialia vocabit, ita eveniat, quid fiet de notis levioribus quas constituit? Quòd si Deus id, quod ex crassitie est tolleret, Certè veritatem corporis non tolleret, id quod hic diligenter notetur. Joachimus Curæus excellens Physicus in exegefi Sacramentaria largiens, *Christum corpore suo per januas ingressum, aut exiisse per lapidem ait*, mutatam qualitatem texturæ in corporibus, id est, ex denso factum esse rarum, ut posset cedere, sicut aer circumfusus cedit nostris corporibus, & tamen corpus est. Hæc ille.

Neq; tamen necesse est ut hoc vel illo modo factum definiamus, sed Dei immensæ potentia credimus, plures esse modos posse
quàm

quàm nos recensere queamus, eumq; scimus
ideo variasse naturam, ut cum uno plures in
hac modos deprehenderim, & quidem no-
tis illis, quas sensus promptiores observa-
rint, non ubiq; servatis aut sensibus proba-
tis, constantius credamus, eum nequaquam
astringi legibus nature, & quidem illis omni-
um minimè, quas ex natura non satis per-
specta collegere homines secundum modum
obvium, de quibus ingeniosi & iudicio præ-
diti meditationes accuratiores instituunt.

Hic verò morosus adversarius clamabit
enervari argumenta, quibus Christus ad
probendam veritatem corporis sui post re-
surrectionem usus est. *Respondeo, Christum sese*
accommodasse Physicis observationibus, quales
tum inter homines pro tenuitate cognitio-
nis, quam dominus consilio suo majorem
non concessit, in usu erant, cumq; inquit:
Videte & palpate, juncto utroq; alterum per
se infirmum arguit. Possunt enim Phanta-
smata & spectra hominum oculis apparere,
quibus substantiæ tales, quales videntur non
sunt. Tadmum igitur visui jungit Christus
ut, quæ non profunt singula, multa juvent.
Ea est autem natura verè essentialium pro-
prietatum, ut singula ad probandam essen-

tiam sufficient. Quapropter Christus istas
notas, quas singulas & imprimis visibilitatem
deficere agnovit, essentielles proprietates ne-
gavit, nec tanta hinc necessitate, quanta ab
essentialibus propriis argumentamur. Non
tamen incerta usus est ratione confirmandi
Christus. Passibiles enim qualitates objecta
visus & tactus vera non sunt, nisi in corpo-
reo subiecto, cumque de visus deceptione su-
spicio oborta esset discipulis, tactum addidit
propius & infallibilis veritatem suorum
objectorum percipientem. Non igitur fal-
lax est probatio ab accidentibus vere osten-
sis ad veritatem sui proprii subiecti. Iter au-
tem mutuum hinc non conceditur per con-
versionem, quæ est contrapositionis, id est,
non valet ratiocinatio à negatis illis acci-
dentalibus notis ad negandum subiectum,
quemadmodum ab affirmatis ad affirman-
dum certitudo statuitur. Quia accidentales
istæ notæ non sunt veræ sine subiecto cor-
poreo.

Corporeum autem subiectum etiam sine
ipsis consistit, quia per se consistit, cum illæ
proprietates ex inesse suum esse habeant. Et
licet Physica non fiat separatio coloris & ta-
ctuum qualitatuum ab essentia humanorum
cor-

corporum: tamen animus discernens ea non facit ex essentiali accidentale, & quod in uno deprehensum corpus arguit, in altero non animadvertum, ut in tenuissimo corpore nequaquam eius veritatem recte negat. Sic Christus cicatrices in suo corpore ostendit dubitantibus, propter quos etiam cibum & potum sumpsit, non ficto & inani phantasmate, sed manifestissima veritate, nec tamen necessitate, sed potestate, ne illud non corpus, sed Spiritum esse arbitrarentur, & sibi non solide sed imaginaliter apparere, ut cum Augustino hac de re loquamur ex epistola ipsius 49. Potuisset autem vulnera sua sanare, ne cicatrices apparuissent, potuisset etiam abstinere omni cibo & potu, nec tamen ideo veritas corporis eius in dubium vocanda fuisset. Atque hoc est, quod supra monui de conversione. Et sane nego conversionem terminorum. Essentialia enim propria cum sua essentia perpetuo & sine exceptione convertuntur, accidentalia non item.

Ac si hic contingat conversionis veritas idem fit, ac cum ex puris particularibus concluditur, quod tamen non fit necessario. Nego etiam conversionem

propositionum per contrapositionem, quia est hæc universalium affirmatarum, quibus exceptio nulla obstat. Observetur denique conversione negata, non esse necesse rejicere convertentem. Nego itaque hic conversionem per contrapositionem, non tamen nego convertentem suo modo veram, ut sic hujus mali logici ad nauseam aliquoties reposita crambe valde sordescat. Similiter ad patrum argumenta vel ex scriptura petita vel ad similitudinem eorum facta respondendum est, quorum etiam testimonia aperta habentur, quod cedentibus notis istis propriis, minimè tamen veritas corporis cedat, ut paulò post quædam citabuntur.

De omnipotentia Dei non opus hic pluribus esset, cum id, cujus analogum ostendit in natura non sit ei impossibile præter naturam, sed quia traducimur, quasi omnipotentia abutamur in impossibilibus, & quidè hinc orthodoxæ antiquitati contradicamus: considerentur quædam huc pertinentia exempla, quæ sacræ literæ suppeditant, & orthodoxorum patrum de istis censuræ consulantur. Sumamus autè cum eo, quod in textu Johannis habetur de Christo super mare ambulante, alia etiam magni momenti exempla.

empla. Propria nota corporis humani nō se-
cus est gravitas & pondus atq; densitas, sed illa
justam probationem physicam effugit, quan-
do corpus Christi mari inambulans merum
nō fuit, neq; tamē ista propria nota sensibus
probantium non constante veritas corporis
desit. Adde huic ingressum per januas clau-
sas, & attende quōd penetratio dimensio-
num in physicis sit impossibilis, ponatq; duo
corpora in uno loco, itaq; singulis circum-
scriptionem & dimensionem propriam non
relinquat: etsi verō patres de spatiis locorum
corporibus tribuendis nonnunquam ita lo-
quantur, ut contrarium videatur impossi-
bile statui, qualia hic adversarius thesi 97. & se-
quenti citat, & Beza in responsione ad me
altera pag. 290. & sequen. (Quamquam de
nonnullis allegatis alia monenda forent)
tamen nullus eorum ad hæc miracula dela-
tus, istis axiomatibus studet, sed veritatem
corporis saltem defendunt, etsi notæ istæ
propriæ, ut sunt modus quantitativus, pon-
dus, moles dimensio, circumscriptio & loca-
litas in uno loco (cum his enim dicta mira-
cula committuntur) sensibus non possint
probari. Audiamus autē veterum quædam
de his disputata. Justinus quæstio. 117. Sicut
G 5 ambu-

ambulavit in mari non mutatione corporis
in spiritum sed divina sua virtute: ita clavis
ostii ingressus dixit, *Palpate & videte*, : ut o-
stenderet, se non mutatione corporis in Spi-
ritum ex monumento egressum, cum saxum
monumento impositum esset, & ad aposto-
los januis clavis ingressum, sed cum corpo-
re crasso divina potentia sua, quæ ea, quæ
præter & supra naturam sunt, præstare po-
test. Hæc autem quæ supra naturam in ipsa
tamen natura fiunt, secundum divinam po-
tentiam, facere credibilia & ob oculos pone-
re secundum rationem ipsius naturæ impos-
sibile est, Cyrillus lib 10. in Joh. cap. 53. O-
mnem mentem ac rationem excedunt quæ
fecit. Qua enim ratione dicit ipsum super
maria, quasi per aridam ambulasse, cum a-
quarum natura corporibus nostris naturali-
ter non substernatur? aut quomodo mille
alia signa verbo solum effecit? Scio quia su-
pra omnem rationem humanam illa fuisse
contendes. Cum illis igitur hoc etiam nu-
mera, nec (ut quidam ex imperitia docent)
credas non resurrexisse cum corpore suo
Dominum: sed nudo corpore omnino ap-
paruisse. Quod si hanc operationem Christi
percipere nequeas, cur potius ingenii huma-
ni imbecillitatem non accusas? cur non ser-
vas si-

vas silentio tibi datam scientiæ à creatore
mensuram. Augustinus de agone Christiano
no 24. cap. Non moveat nos quod clausis o-
stus subito Dominum apparuisse discipulis
scriptum est, ut propterea negemus corpus
illud fuisse humanum. Quia contra naturam
hujus corporis videmus illud: *Per clausa ostia
intrare.* Omnia enim possibilia sunt Deo:
Nam & ambulare super aquas contra natu-
ram hujus corporis esse manifestum est: & ta-
mē ipse Dominus non solum ante passionem
ambulavit, sed etiam ipsum Petrum ambula-
re fecit, ita etiam post resurrectionem de cor-
pore suo fecit, quod voluit. Idem sermone
159. cui titulus Dominica in octava Paschæ
sermone tertius. Miraculum est quod Do-
minus noster Jesus Christus in carne vera
intraverit ad discipulos per ostia clausa.

Requiris forsitan à me rationem, & argu-
mentum requiris? Si vera, inquires caro fuerit
quæ resurrexit, quomodo ipsa januis clausis
ad discipulos intravit? Redde mihi ratio-
nem, ô homo, si rationem à me poscis, non est
mirabile, si exemplum quæritur, non erit sin-
gulare, & potius recedant paulisper modus
& pondus: *Ille hæc fecit, cui nihil est impossibile.*
Et in serm. sequente, sed sicut non est, inquit,
naturæ corporalis, per januam clausam intrare,
sic non

sic non est naturæ corporalis superfluctus
maris ambulare, *Intravit per ostia clausa*, re-
sponde mihi, da mihi soliditatem carnis,
Ambulavit super aquas maris, da mihi & tu
pondus carnis? Vis nosse & hoc omnipo-
tentia fuisse. Et in sermone paschali: Non-
nulli hac de re moventur, ut penè pericli-
tentur, afferentes contra miracula divina
præjudicia ratiocinationum suarum. Sic
enim disputant: Si corpus erat, si hoc resur-
rexit de sepulchro, quod pependit in ligno,
quomodo per ostia clausa intrare potuit?
Si comprehendis modum, non est miracu-
lum, ubi deficit ratio, ibi est fidei ædifica-
tio. Et rursus considera auctorem & tolle
dubitationem. At dices: Si super aquas fir-
mis gressibus ambulavit, ubi est corporis
pondus? Respondeo. Si per corporis ostia
clausa intraverit, ubi est corporis moles? Re-
cedant paulisper moles & pondus, ille hæc
fecit cui nihil impossibile est. Hæc Augu-
stinus.

Quantam igitur audaciam putabis, quòd
contra textum evangelicum & consensum
antiquitatis Beza non veritus est ascribere
20. cap. Joha. aut sponte patuerunt ei fores
vel ipsi parietes fuerunt ei pervii: Nos verò
Hila:

Hilario potius textui sacro fidem habenti,
quàm Bezæ in sacris literis pro sua affectio-
ne ludenti, subscribamus. Sic autē ille lib. 3.
De Tri. Quæro per quas clausæ domus par-
tes corporeus sese intulerit, an constructa
parietum penetrans & solidam lignorum
materiam impenetrabilem transcurrat? Ste-
tit namq̃ corporeus non simulatus aut fal-
lax, integra sunt omnia & obferata. Sed ec-
ce afsistit medius, cui per virtutem uniuersa
sunt pervia. Nihil cedit ex solido neq̃ per
naturam suam tanquam lapsu insensibili, li-
gna & lapides admittunt nec corpus Domi-
ni à se deficit, ut sese resumat ex nihilo & un-
de est quod afsistit in medio? Cedit ad hæc
sensus & sermo, & extra rationem humanam
est veritas facti. Dicamus ne ergo non factū
fuisse, qui intelligentiam facti non appre-
hendimus? Noli negare quòd clausa domo
in medio discipulorum steterit, eò quod per
intelligentiæ infirmitatem consistentis non
consequaris introitum, ipsi omnia sunt per-
via. His similia multa antiquitatis testimo-
nia colligi possent, verùm ex adductis satis
liquet, 1. Physicas observationes de veritate
corporis ex propriis notis confectas, & his
nitentes ratiocinationes non esse ejus neces-
sitas

fitatis, ut nullas exceptiones admittant. i i.
Easdem observationes alibi graviter a Pa-
tribus assertas, non habere apud eosdem lo-
cum, quando miranda opera D E I, quæ il-
lis adversari deprehenduntur, a se manda-
sunt. i i i. Patres cedentibus alicubi notis
corporis per Christi propriis non laborare
pro astruendis illis, sed etiam missis illis ve-
ritatem corporis agnoscere. i i i i. Ortho-
doxos patres sui temporis hæreticos à pro-
priis corporis notis, non perpetuò servatis,
nec sensibus semper probatis argumentantes
ad negandam veritatem corporis Christi, re-
futasse, & hoc argumentandi genus imperi-
tæ auctorum tribuisse. v. Hærentes in con-
ciliationibus physicis deductione ad omni-
potentiam D E I à Patribus sedatos cui plus
liceat quàm nobis liqueat. Atq; hæc quibus
vanus Antidotarius contradicit, eadem de-
liria sua venerandæ ant. quitati ascribens, fa-
tis perspicuè & magna cum *ὑπερφροσύνη* do-
centur a patribus exemplisq; sacrae scripturæ
in corporis Christi propositis tam certo e-
vincuntur, ut sacramentarii acutissimi hæc
disputationē ingressi, sententiamq; amplexi
adversariam, tanquam mures in pice harere
videantur. Petrus Martyr unus ex ingenio-
sissimis Sacramentariis, quiq; etiam omnes
ner-

nervos acuminis ad physicorū defensionem
intendit, in disputatione de Eucharistia Ox-
onię habita, concedit modum quantitatū
corporis celsisse, quando Christus super ma-
re ambulavit, vel fores clausas transit. Addit
tamen non omnem modum quantitatis nec
omne pondus recessisse, sed tantum ista de
sententia Augustini fuisse rejecta, quę in-
gressum & penetrationem ad discipulos im-
pedire potuissent. Agnoscit igitur rejectione
Quantitativi modi non violari veritatem
corporis, alias tanta ejus violatio corporis
statuenda esset, quanta rejectio traditur.

Quòd si etiam modus quantitativus rema-
nens non impedivit penetrationem, inanis
fuit celsio aliquantida ad absurdū redimen-
dū, conficta cum quantitate, vel minima resi-
dua, facta fuerit penetratio dimensionum &
locus singulis non fuerit proprius, sed unus
utriq; cōmunis, nec potest dissimulare Mar-
tyr, sed hic premi & urgeri valdissimē, ideo oꝝ
opinatur, patres non tam pro absurdo ha-
buisse in natura duo corpora esse simul in
eodem loco, quā unum corpus esse simul
in multis locis, id est, effugium quærit, ut cum
sentiat istud absurdum physicum de penetra-
tione dimensionum declinari non posse, per-
suadeat interim alterū absurdum $\pi\omicron\lambda\upsilon\tau\omicron\pi\iota\alpha\varsigma$
clic

esse gravius. Verùm hæc distinctio apud patres non traditur, & physici naturã ab utroq; paradoxo æquẽ abhorrere pronuntiant. Et cur non paria essent absurda rationi, cum corpus circumscriptum, dimensum & uni loco designatum, tam penetratione dimensionum quàm præsentia impluribus locis si multanea apud physicos eadem auctoritate negetur, neq; alterutri absurdorum majus vel minus peccatũ tribuatur, nisi penetratione dimensionum pluribus absurdis unum implicari statuas quam alterum?

De invisibilitate, corporis Christi, Salva veritate ejus, competente etiam non obscura sunt testimonia sacra, Luc. 4. legimus: *Quod Nazareni prehensum Jesum duxerunt super cacumẽ montis, ut præcipitarent eum, ipse verò transiens per medium eorũ ibat.* Mirum profectò præhensum corpus elati & per mediũ hostiũ transire, ut hi neq; illud tangendo neq; videndo observent, alias in visum vel tactum deprehensum rursus involaturi. Joh. 8. Disertius de invisibilitate Christi dicitur: Cum enim Judæi lapides sustulissent, quos in Christũ jacerent, ipse occultavit se & exivit e templo, transiens per medium eorum & sic præterit. Lucæ 24. primũ dicitur, quòd
Jesus

Jesus tenuerit oculos discipulorum, ne agnoscerent ipsum. Quomodo corpori Christi non est tribuenda formæ externæ mutatio sed miraculum fuit in oculis videntium, in 5. tamen Joha. explicantes verbum ἐξένθυσεν, id est, peregrinus factus est, evicimus Christum habitum corporis mutasse, ne agnosceretur. Quod ipsum etiam ad propriarum notarum celsionem facit. Sed hoc manifestissimum, quod Lucæ 24. legimus, Ad aperti autem sunt oculi eorum & agnoverunt eum, sed ipse ἀφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, Inconspicuis factus est, seu ut Hieronymus loquitur, Evanuit ab oculis eorum. Hic non solum vocis ἀφαντος perspicuitas evidens, sed etiã hoc notabile est, quod ad aperti oculis, qui antea tenebantur, Christus dicitur factus ἀφαντος, ne Sacramentariis succederet, quod nonnulli hic tentarunt, prætendentes non in corpore Christi, sed in oculis discipulorum rationem non visi ponendam, quod autem Christus non conspectus transiisse per medium hominum legitur, id veritatem corporis ejus etiam tum, cum invisibilis esset, servatam testatur, Quemadmodum supra ex Joha. dictum est καὶ παρήγεν δὲ τὸ, ut in ipsa occultatione hyperphysica, physicè tamen inambulasse intelligeretur. Valdeq; frivolum est, quod Beza discessum Christi à discipulis, Luc. 24. con-

H

tra

tra præsentiam, quæ prius & quidem tum fuit,
quando Christus ἀφ᾿ αὐτοῦ dicitur factus, alle-
gat ut scilicet istud ἀφ᾿ αὐτοῦ absentia tribuat,
Quemadmodum nunc nos non videmus
Brunsvigæ ambulantes. Quoniam verò ali-
quid insolens factum negare nequit, in repen-
tino motu discessus istud constituit, quem ta-
men vox ἀφ᾿ αὐτοῦ aut phrasis ἀπ᾿ αὐτῶν talem
non indicat. Ideo verò in manifestis testimo-
niis scripturæ elusiones violentas quærunt,
quia principium Physicum immotum præsu-
munt. *Omne corpus esse visibile, nec sanos oculos ef-
fugere posse.* Id quod evangelica tamen histo-
ria de corpore Christi, & ipsa Physica de qui-
busdam corporibus veris per instantias non-
nullas universale negat. Patres certè tantam
religionem Physicis axiomatibus non tribue-
runt. Cyrillus in 5. cap. Joh. de verbo ἐξ ἐνθουσιασ-
tis disertè fatetur Christum dispensatione occul-
tatum esse & latuisse. Et Hieronymus ad Pam-
machium scribit, Quod ab oculis repente e-
vanuit virtutis Dei, non umbræ est aut phan-
tasmatis, alioquin & ante resurrectionem in
Nazareth transivit per medios, id est, elapsus
est è manibus ipsorum. Nunquid juxta Mar-
cionem dicemus natum in phantasmate, quia
contra naturam, qui tenebatur elapsus est
(en

(en argumentum à non apparentibus propriis notis ad conclusionem Marcioniticam) quòd clausis ingressus est ostiis, ejusdem est virtutis, cujus & ex oculis evanescere.

Atq; hæc de notis corporis propriis, vel etiam essentialibus proprietatibus, quas in defectu verè essentialium priorum ita appellant, dixisse sufficiat. Ex quibus observatione dignissimis hoc imprimis teneatur: Physicam nostram scientiam longè infirmiore esse, quàm ut se ipsam perpetuò salvet, & in suis terminis tueatur, multo igitur minus prævalere adversus omnipotentiam Dei, quæ naturam fecit, ut creatori cederet, non ut per ipsam auctor constringeretur. Quamobrem etiam sanæ rationis iudicio stupidi sunt, etsi sibi suisq; multum sapere videantur, qui istam imbecillitatem ad resistendum voluntati omnipotentiae Dei conducunt, id quod considerationi eorum subijcio qui veritatem seriò scrutantur.

Sic ex fundamento judicari potest de eo, quod dominus Melanchthon conscientiam scientiæ jungens, scripsit ad Martinum Gorchium: *Mori malim quàm hoc affirmare, quod Cingliani affirmant, corpus Christi non posse nisi in uno loco esse.*

H 3

Restat

Restat phantasia de contradictione, quam thesi
42. & sequentibus tanquam alterum invidiæ
scientiæ argumentum prædicat. Prius tamen
quàm de hoc agamus ad minorem respondeamus.
Non disiteor quod doceamus, corpus &
sanguinem Christi in omnibus illis locis esse,
simulq; & semel præsentia exhiberi & sumi in
quibus elementa benedicta secundū institutio-
nē Christi porriguntur & sumuntur. Cumq; in
externa sumptione nec videndo nec palpando
præsentiam probare possimus, corpus & san-
guinem Christi invisibiliter & impalpabiliter
in sacra cæna cum pane & vino sisti profite-
mur, idq; propter deficientem sensum no-
strorum in externa perceptione probationem
& verborum Christi de vera præsentia in vio-
landam religionem. Quòd autem præterea &
eandem ob causam incircumscriptum & indi-
mensum Corpus Christi doceamus, illud mi-
hi imputari non patior. Sicut enim Christus
corpore suo ἀφαιτος factus de loco tamen ad
locum perrexit, ut Joh. 8. apertè scribitur: Ita
non sequitur, Si invisibiliter adsit in cæna cor-
pus Christi, vel etiam impalpabiliter quod ideo
reliquas etiam notas non habeat & propterea
incircumscriptum adsit. Sic non recipio, quòd
corpus Christi ideo necessariò circumscriptum
sit, quia nostra confessio statuatur istud pani lo-
cali.

caliter non includi, vel quòd pluralitas locorum interveniat: Quid enim obstat, quò minus circumscriptum adit, quod tamen pani localiter non includatur: & illud ipsum corpus transit per fores clausas penetratione dimensionum circumscriptiõne physicè non ferente, nec tamen patres inde corpus incircumscriptum & indimensum fecerunt. Nam quòd dixerunt: Cedat paulisper modus, moles, pondus hoc voluerunt indicare, non debere ista obstare, sed potius cedere fidei nostræ. Et si etiam tollerentur, credi tamen debere facta illa salva veritate corporis, id quod Augustinus his verbis testatur: Si rationem à me poscis non est mirabile, quod ne expectes, quòd dicturus sim hoc vel illo modo factum, de quo deliberas: Fieri sanè potest, ut hoc vel illud sit statuum, sed cum non eo usq; pertingant sensus nostri, ut quid eorum in occulto fiat, certò probent, sicut in externa perceptione à Christo instituta visus & tactus adhibiti, neq; visibiles nec tactibiles qualitates deprehendunt, ejus sumus modestie, ne certum pronuntiemus, quod in suspenso reliquit probatio, & sacræ scripturæ non revelavit indicatio. Hoc verò docem nullam harum notarum, nimirum esse circumscriptum, mensuratum, visibile, palpabile, &c. veritatem essentia corporis ita constituere,



ut sublatis illis veritas corporis necessario sit
neganda. Minorem igitur cum dicta modera-
tione intelligere oportet, ut Dei omni poten-
tiae liceat quod ipsi libeat, non quod ratio de-
cernat, interim tamen posito casu, quod nulla
notarum earum maneat, in maiore probavi-
mus manere tamen verum corpus. Itaque male
inde concluditur, quod verum corpus Chri-
sti, per doctrinam de praesentia ipsius in coena
aboleamus, estque vitium hoc manifestum, quod
necessitas fingatur, quae ne physicae quidem
constet, & tamen omnipotentiae Dei, id est,
dominae naturae opponatur, quomodo palam
fit quod fictitia necessitate, consequentia non
satis firmiter physicè, nedum contra omnipo-
tentiam Dei ut sufficiat, muniatur. His vero,
quae haecenus dictae sunt multae theses ociosae,
& fastidiosae ab Antidotario repetitur, refel-
luntur, ut quibus objicit veritatem corporis à
nobis tolli, Marcionis, Eutichetis aut similes
haereses invehi, & patrum nos atque sacrae scri-
pturae testimoniis condemnari, quibus versus
quosdam Trafonicæ provocationis & juba
temerarii triumphii subjecit. Quandoquidem
autem novit, quod nobis non desit ratio nos
inde expediendi, id quod haecenus fecimus,
arrogat sibi versutiam istam viam impeditam
red-

reddendi, & qua est insolentia & impudentia
decernit, mihi effugium non patere, nisi dicam
Contradictoria pariter esse vera, id est, nigrum
esse album, & album esse nigrum, bonum &
malum, calidum & frigidum, tenebras & lu-
cem esse unum & idem thesi 28. cujus absurdi
assertores verè sint Θεόμαχοι. Videamus igitur,
nunc quid magno ferat hic narrator hiatus?
Contradictoria (inquit) non possunt simul
esse vera, vos corpus definitum, locale, sensibi-
le, in cælo in proprietatibus veri corporis
consistens, cum commodum est confitemini,
& vicissim idem corpus verè & realiter, non
quantum, non circumscriptum, non locale,
non sensibile, simul in terra & in innumeris lo-
cis extra veri corporis proprietates asseritis.
Ergo contradictoria simul dicitis esse vera. Et
sic evertitis regulam, quam Deus nunquam
mutavit: Hæc verò contradictoria, itaq; simul
vera non erunt. Respondeo ad majorem,
contradictoria, quæ vere talia probata sunt, in
æternum non fore simul vera. Immota enim
est sententia Christi: Sermo noster sit **E S T,**
E S T, N O N, N O N, quod autem ultra hæc
adjungitur, à malo est, Matthei quinto. Atq;
huic regulæ Deus se etiam obstringit, ut quod
mentiri nesciat, ad Titum primo. Quia
verò in omnibus oppositis propositionibus,

nedum in contradictoriis, quæ summum oppositionis gradum occupant, hæc sunt observanda, ut eadem sint extrema de eodem loco & tempore, respectu ejusdem, & sine ulla ambiguitate intellecta, necesse est ut hæc conditiones diligentissime explorentur, maximè verò cum agendum est contra expressam orationem Dei, & ab hac potiùs quàm ab ista regula cedendum putat. Minor igitur excutienda est, & hîc primum deliberandum, num Deo permittere velimus tantam sapientiam, quæ nos nostramq; superet, ut nimirum, quod nos certo aliquo modo factum definimus, vel esse, in quo oppositio statuatur alio modo fieri, ac esse potuisse negemus. Certè cum in physicis modi varii sese offerant ex quibus unus contradictionem juxta alterum conceptam elidat, multò magis exceptionem contra notationes nostras concedemus in mysteriis, ut quæ non physicis usitatis regulis obliganda, sed præternaturalibus modis reservanda sunt. Quàm facile igitur subesse aliquid potest, quod nos fugiens iudicium fallat. Atq; utinam hic pius metus tam frequens esset, atq; alter ille physicus, aptiores certè animi ad controversias theologicas decidendas afferentur. Deinde exprobratio adversarii potissimum respicit veri & non veri corporis oppositionem. Hîc diserte profiteor,

teor, me solummodo verum corpus Christi, &
nequaquam aliud non verum credere. Aver-
for etiam duplicem veritatem corporis Chri-
sti, quam male feriat comminiscuntur, unicam
autem nec aliam, quam quæ nobis coessentia-
lis sit, in sacris literis doceri video: Quòd verò
visibile, palpabile, quantum & circumscriptum
corpus, nec ullum verum aliud statuit, in hoc
errorem ejus non probavi, corpus enim Chri-
sti invisibile & impalpabile redditum verum
tamen mansit Luc. 4. Joh. 8. Luc. 24. & sunt ve-
ra in Physicis corpora, quæ tamen sensuum
censuram defugiant, jam sanè fateor visibile &
invisibile corpus si simul & semel respectu quò
ejusdè sine ambiguitate omni oppositio con-
stet, contradictionem parere, sed quod hæc
ipsa ἀντιφασίς verum & non verum corpus
committat, nego. Quod si igitur ista opposita
concurrerint in uno subiecto erunt extra sub-
jecti substantiam, & sic opponentur salva cor-
poris manente substantia. Inter se autem in
physicis sic committentur, sicut accidentia op-
posita, in quibus tamen non est simplex im-
possibilitas, cum in uno subiecto inveniuntur
etiam simul & semel sæpe diverso & in primis
remissionis respectu, qui multos latuerat, sal-
vantur. Cum quæ passibiles qualitates sunt obje-
cta visus & tactus, remissionem tantam recipe-

re possunt, ut suos sensus deludant, visibiles
tamen & tactiles in se, etsi nostri sensus ad tan-
tam remissi gradus observationem etiam in
suo exquisito gradu deficient. Quod si hoc in
physicis contingit, quid Deo, quando ordi-
nem naturæ superare decrevit, licebit? Certè
quoties recordor, quod Paulus inquit, Deum
super omnia & ὑπὲρ ἅπαντα πνεύματα, (id quod Beza
reddidit, infinita cum redundantia posse face-
re) suprâ inquam quàm nos petamus vel co-
gitemus, ad Ephe. 3. non possum iis subscribe-
re, qui potentiam, Dei pugillo Physico metiri
præsumunt. Est et gravissima vox ipsius Jeho-
væ, Zach. 8. Sic dicit Jehova exercituum (id
est, qui innumerabili exercitui ad perficien-
dum, quod vult, præest) si videbitur difficile
in oculis reliquiarum populi hujus, indiebus
illis, nunquid in oculis meis difficile erit? di-
cit dominus exercituum.

De circumscriptione sublata non est proba-
ta accusatio. Non enim satis est ad negandam
circumcirptionē corporis, quod in pane vel
loco panis non includatur. Physica, inquis,
hoc non fert ut circumscriptio corporis ma-
neat extra inclusionem localem. Responde
mihi vicissim homo, cum physica non tolleret
ut fiat penetratio dimensionum salva circum-
scri-

scriptione corporis præsertim transeuntis per
alterum, num hinc certò possis concludere,
circumscriptionem corporis Christi cessasse,
cum transiret per fores clausas? Physica sanè id
dicat, sed quid? Si Deus modum nosset, qui
à naturæ modo discedens, circumscriptionem
in ista penetratione salvâ præstitisset omnem
aliam contradictionis materiam sustulisset? **Q**
uod si etiam desisset circumscriptio, non ta-
men desierit veritas corporis, qua de re pro-
voco ad superiora. Ex his, quæ examinanda
propofui, cuius certitudinem potius quàm
speciè consequentiæ venanti, liquet non sup-
petere tantum firmamenti, ut contradictio
evinci, nedum ut Deus impossibilitate, vinceri
queat, id quod porrò libremus appensili qui-
busdã thesibus Antidoti, in quibus putamus o-
mnes proprietates necessarias contradictionis
demonstratas & diversos respectus, planè remo-
tos. Assentior thesibus 43. & 44. unum enim &
idem numero corpus Christi, atq; id quidem
verum & reale, quod ex Maria assumptum in
unione personali subsistit, sine omni plurali-
tatis cogitatione, id est, absq; corporis illius
unius multiplicatione intelligo nec diverso-
rum corporum, quæ veritate & modo essendi
definitione q; varient, ferre hic possum men-
tionem. **Acci-**

Accipio etiam thesin 45 quòd tempus unum atq; idem cum adversario intuear, nec repugno thesi 46. qua asseritur in prædicatis utrobique actum poni, id est, rem ipsam, si scilicet actus intra limites dispositus & 47. & 48. thesibus repetitus contineatur, id est, realis & veri corporis realis & vera præsentia citra evagationem servetur. Evagationem dico, cum ab eo quod veritatem corporis non constituit, ut circumscriptum, sensibile, quodq; dum sensus exquisitos & non impeditos effugit, vel etiam omnino aufertur, veritatem corporis non tollit, hoc inquam vel non demonstrato, vel negato cum proceditur ad destructionem veritatis corporis Christi, dico disputationem peregrinari ab actu huc pertinente, & sententiam eruditis & bonis viris censendam subijcio: Hac de causa thesin 49. aut extravagantem rejicio. Non enim omnia quæ in assumpto ex Maria virgine corpore tum fuerunt ad veritatem corporis constituendam ita pertinere, ut nisi adessent corpus verum sua absentia destruerent, qua de re iterum appello superiora argumenta. Explodenda est igitur ex proprietatibus contradictionis propositis hæc thesis, tradens quòd verum corpus circumscriptum & sensibile necessario intelligatur, & sic contra opinionem & spem thesis
quin-

quingagesimæ dissentio ab hoc Antidotario in nervo, quo contradictionem valere oportet. Succumbens igitur in minore, id est, in capite causæ adversarius, tota cadit actione, nisi dicendum sit altera præmissarum non probata vel etiam falsa, probatissimam tamen & verissimam habendam conclusionem, quæ ex thesi & subsumptione tanquam veris & coherentibus utrisque collecta est.

Hoc puto animadvertisse Antidotarium, quod thesi 51. quæ natura propositionem majorem præstat, sic scripsit. At contradictoria hujusmodi, hoc est, quæ ad figmenta potius quam ad firmamenta conveniunt, simul vera esse non possunt. Servet autem & solvat Antagonista prius thesin, & postea in minore nos probet aberrare, non verò ad opinionem mentientem conformet thesin, & sic recto pede incedens, me non invitum ductabit. Non defugio hinc sanorum judicia, sed rogo & efflagito, ita quidem serio, ut veriora monstranti cessionem cum gratiarum actione pollicear, in conspectu Christi, quem fallere est seipsum perdere.

Vos autem, charissimi auditores, in primis obtestor ut sicubi responsa mea hæere putetis mecum conferre, & rationes rationibus comparando, veritatem illustare non vereamini.

mini. Adduco hinc etiam testem Calviniano-
rum consensum, quem orthodoxum appel-
lant qui pag. 124. fatetur, Tali explicatione
contradictionem evitari, quæ varietur respec-
tu subjecti, de quo contradictoria dicantur.
Atque respectus corporis Christi, de quo tan-
quam subjecto contradictoria prædicantur,
alius est, quo veritas corporis & essentia con-
stat, alius quo veritas describitur quantitatis
qualitatis, aliorumque accidentium in ipso hæ-
rentium, quæ licet data ad affirmandam veri-
tatem corporis, quoniam propria sunt, vale-
ant, ad negandum tamen eandem cum absint,
tantundem non possunt, quoniam accidenta-
lia sunt, non essentialia propria. Judice ergo
toto Calvinianorum agmine, ubi ad veritatis
regulam accedit, hinc absolvimur. Hoc tamen
repeto, ut diligenter attendatur, quod in phi-
losophia accurata consideratione, necessitati
consequentia hinc inde detrahatur. Quid
igitur futurum metuemus, si potentiam Dei
advocaverimus, non ut contradictoria simul
& semel vera fiant, quod nunquam contendi-
mus, sed ut contradictionis præsumptio ener-
vetur? Quod quomodo per Dei potentiam
fieri non posset, demonstrandum erat adver-
sario, quod tamen non fecit, neque potuit, etsi
quantum valuerit, hinc præstare voluerit. Hæc
nunc

nunc quidem respondere volui adversario ignoto & seipsum spoliante, coram Ecclesia nomine privato, quo pii & honesti gaudent, atque à piis & honestis maximè in casibus insidiarum censerì cupiunt. Summa lucri mei hæc est, quòd auctor Antidoti omni intentione sua frustratus, tantus quantus est invarietate, & fraude deprehendatur, & teneatur, ubi enim meas propositiones videri voluit refutasse, tituli Antidota ostenderunt, pixides nihil continuerunt: Ubi verò aliena aspersit, quemadmodum hæc primo loco proposuit, ibi medicum egit ex eorum numero, quorum tituli, ut Seneca ait, remedia habent, pixides venena.

Habes hic Christiane lector ea, quæ Antithesibus illis Antidoti nomine, divenditis à D. D. Daniele Hoffmanno publicè in Academia Julia docente opposita sunt, quæ si invadere fidei tuæ poterunt, est quod lætemur. Sin verò firmata ita fides tua sit, ut hisce non indigeat adjumentis, est tibi quod gratulemur. Obstinato autem animo, si verum quod docetur & monstratur repudiaveris, dolemus certè eo rem tuam deductam esse, ut mysteriis illis assentiri nolis, quæ quomodo fiant, & formentur, intelligi non possunt, nisi tibi id quod latere debet, & manifestatum verbo non est, prodatur.

Auctor

Auctor coenae omnes illos, qui causam
hanc tractant, Spiritu suo ita illuminet, ut non
quid ratio suadet, humana, non quid corporis
propria permittere videntur, quid prohibere,
serio cogitent: Sed ut quid verbum Christi
indubitatum polliceatur, & promittat, tantum
inquirant, inquisitum inveniant, inventum
amplectantur, defendant, propu-
gnent, tueantur, Amen,
Amen.







AB: 42 $\frac{7}{1, 7, 11}$

ULB Halle

3

003 924 025



80-






GERHART VON ALVEN
SCHLEVENWALDENSCHE

4





CONFUTATIO

Solida antithesium

THESEI

BVSD. HOFFMAN,

NI DE COENA DO-

MINI OPPOSITARUM, QUAE

ostenditur quam vacuae sint pixides multae, quam

veneno refertae quaedam quibus Antidota con-

tineri Agyrta praetereantibus persua-

dere contendit,

publicè in Academia Julia à Domino D. Da-

nielo Hoffmanno recitata: nunc vero à pieta-

tis studioso in lucem edita

Anno salutis

1591.



Medice cura te ipsum.